SANCTORUM PATRUM

OPUSCULA SELECTA.

IX.

SANCTORUM PATRUM

OPUSCULA SELECTA

AD USUM PRAESERTIM STUDIOSORUM THEOLOGIAE.



IX.

EDIDIT ET COMMENTARIIS AUXIT

H. HURTER S. J.,

S. Theol. et Philos. Doctor, ejusdemque s. Theol. in
C. R. Univers. Oenipont. Professor p. o.

Cum Approbatione Celsissimi et Reverendissimi Episcop
Brixinensis et Facultate Superiorum.



OENIPONTI.

LIBRARIA ACADEMICA WAGNERIANA.

1870.

QUINTI SEPTIMII

FLORENTII TERTULLIANI

LIBER

DE PRAESCRIPTIONIBUS ADVERSUS HAERETICOS

et

S. VINCENTII LIRINENSIS

COMMONITORIUM.

LONDINI
apud David Nutt.

TAURINI
apud Hyacinthum Marietti.

PARISIIS
apud Josephum Albanel

#963

PRAEFATIO.

I. Libri de praescriptionibus adversus haereticos utilitas et variae editiones.

1. Inter monumenta antiquitatis literaria nullum erit vel fere nullum, quod si pretium, ingenii acumen utilitatemque spectes, Tertulliani libro *de praescriptionibus adversus haereticos* possit comparari. Hunc extollunt quotquot de patrologia scripsere; hujus praestantiam testantur repetitae illius editiones [1]) et quod pluris est, assiduus hujus libelli usus in pugna adversus haereticos et Ecclesiae Dei hostes; docet siquidem in eo Tertullianus methodum invictam, palmarem, qua non una vel altera haeresis, sed quotquot adversus Christi doctrinam seculorum cursu pullu-

[1]) Alias editiones praeter eas, quas infra indicabimus, diligenter recensent Schoenemann in bibliotheca historico-literaria PP. lat. et ex eo Migne in praef. t. 1. patrol. p. 35 ss.; Leopold in biblioth. PP. ecclesiast. curante E. G. Gersdorf t. 7. p. 331 ss.

larunt, revinci atque ad silentium redigi possint[1]). Mirum proinde esse non debet, si viri eruditi quamplurimi nulli non pepercerint labori, ut libellum hunc quam emendatissime ederent adjectisque commentariis illustrarent. Ita B. Rhenanus 1521; Pamelius 1583; Albaspinaeus (l. 2. observat. eccles. Paris. 1622); La Cerda 1630; Rigaltius 1634; Christianus Lupus O. Eremit. s. Aug. qui prolixa admodum commentaria in h. l. conscripsit (T. 9. opp. ed. venet. 1726); D. Corbinianus Thomas O. S. B. 1752; ven. card. de Thomasiis (institut. theol. Romae 1769); Semler (Tertul. op. Halae 1769—76 vol. 6); Gourcy 1825; Migne (in suo patrol. cursu v. 2. 1844); Leopold (in biblioth. PP. eccl. curante E. G. Gersdorf v. 6. a. 1841); Oehler (Lipsiae 1853—54. 3 vol.) etc.

2. Diu vero utilitate hujus libri permotus illustrissimus ac reverendissimus S. Hippolyti episcopus, J. Fessler, orbi literario notissimus, in votis

---

1) Ad hujus libelli normam composuerunt tractatum suum (VII.) *de praescriptionibus catholicis* cl. fratres Adrianus et Petrus de Walenburch (opp. t. 2. Coloniae Agrippinae 1670). Hanc methodum secuti sunt quicunque in theologia polemica sec. praesertim 16. et 17. eminuerunt.

habuit, novam curare editionem, qua theologiae studiosorum consuleret utilitati lectionemque redderet faciliorem. Verum a Pio IX. omnis meriti aequo aestimatore ad altiora vocatus, et ut concilio oecumenico, quod celebrandum idem pontifex indixerat, a secretis esset, destinatus, quod in votis habuit, non potuit exsequi. Quare cum accepisset hujus libelli parari editionem in hac opusculorum collectione (neque enim fas erat tam pretiosum et utile antiquitatis monumentum in ea desiderari!), perquam humanissime nobis concessit quidquid literis jam consignaverat. Plurimam exinde utilitatem hausimus sive ad dirimendas quaestiones praeliminares, sive ad locos difficiliores illustrandos. Illi proinde debemus, debent et lectores, si hac editione eorum consuluimus commodo.

II. An Tertullianus adhuc catholicus hunc scripserit librum.

3. Notum est Tertullianum, postquam rem catholicam plurimis scriptis et laboribus egregie juverat, senio jam proximum turpissima tandem defectione in haeresin Montani esse prolapsum (non multo post a. 200). Merito proinde quaerunt non solum lectores sed et docti quique, utrum

Tertullianus ante vel post tristissimum suum lapsum opusculum hoc conscripserit. Qua de re non una est eruditorum sententia. Sunt qui affirment, librum hunc a Tertulliano jam montanista esse compositum, quorum praecipuum imo unicum argumentum[1]) ex ipsius verbis (adv. Marc. l. 1. c. 1.) derivatur. „Alius libellus, ita Tertullianus, hunc gradum *sustinebit* adversus haereticos, etiam sine retractatu doctrinarum revincendos, quod hoc sint de praescriptione novitatis.“ Nondum ergo hunc librum scripserat, cum Marcionem impugnare coepit: sed libros adversus Marcionem a. 207. vel 208. proin post suam defectionem inchoavit. Ergo et librum de praescriptionibus nonnisi cum jam montanista

---

[1]) Neque enim argumentum est, quod ita proponit cl. Lumper l. c.: „Atque illud ipsum, neque tempore eo, quo librum nostrum perscriberet, vacuum a montanistarum erroribus fuisse animum Tertulliani clarissime ostendit; ut non dicam horum errorum vestigia *non obscura* esse in hoc libro, veluti c. 40. ubi cum doceat, etiam malignum genium aemulari institutiones divinas; *quid quod*, inquit, *et summum pontificem in unis nuptiis statuit? Habet et virgines, habet et continentes.*“ Candide tamen fateor, haec vestigia esse adeo obscura, ut prae obscuritate videri nequeant. Hisce enim similia habet l. 1. ad uxorem c. 6, quem alioquin fatente ipso Lumper (c. 2. a. 3. § 5.) ante lapsum exaravit.

esset, composuit. Ita Lumper (Hist. theol. crit. de vitae tc. ss. PP. t. 6. c. 2. a. 4. §. 6). Tamen c. 4. a. 3. non omnino alienum se ostendit a sententia Du Pinii scribens: „Denique vero ad summum istud largiar, librum de praescriptionibus jam ante lapsum a Tertulliano adhuc orthodoxo elucubratum quidem, at nonnisi post defectionem suam ad fulciendos nempe libros adversus Marcionem editum fuisse.“ Quam opinionem sequitur etiam Migne (praef. ad h. l. patrol. t. 2. p. 10 s.).

4. Sed plane praeferenda videtur tertia sententia, quam viri gravissimi tuentur, ut Baronius ad a. 197. n. 21; Tillemont (Mémoires pour servir à l' Histoire ecclés. t. 3. p. 656); Ceillier (Histoire des auteurs ecclés. t. 2. ch. 28. a. 6); Fleury (Hist. eccl. l. 5. n. 28.); Gourcy (in praef. suae edit.); Moehler (Patrologie) etc. secundum quos Tertullianus adhuc catholicus hunc composuit librum. Hi interna praesertim argumenta urgent; nihil enim liber continet, quod apertam redoleat haeresim, imo prodit auctorem communione junctum Ecclesiae romanae, quam summis extollit laudibus c. 36; deinde hujus libri argumentum est plane et unice catholicum, cum sola Ecclesia catholica praescriptione uti possit adversus haereticos; vix ergo credibile est, voluisse vel etiam potuisse

Tertullianum tam luculenter argumentum hoc tractare, cujus tota vis in ipsum quoque valuisset. Confirmatur haec sententia collatione hujus libri cum l. de velandis virginibus, qui, teste Lumper c. 3. a. 4. § 2, librorum montanisticorum facile est primus. In hoc enim affirmat (c. 1.): „Haereses non tam novitas quam veritas revincit,“ quae male cohaerent iis, quae de praescr. c. 29 ss. pluribus inculcat. Ibidem verba Christi: *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem* (Joan. 16, 12 s.) ita explicat, ut sequatur, revera Spiritum s. paulatim temporum cursu nova docere „quoniam humana mediocritas omnia semel capere non poterat.“ In l. vero de praescr. c. 22. contendit, haec completa fuisse die Pentecostes, ac gravissime illos in haereticos invehitur, qui exinde inferebant, apostolos nonnulla ignorasse nec plene fuisse instructos. Verum quidem est Tertullianum in l. de vel. virg. c. 1. de disciplina loqui, de fide vero agi in l. de praescriptionibus; nihilominus tamen disputandi ratio, quam sequitur in hoc altero l. sat clare ostendit, eum nondum favisse sensui illi verborum Christi, quo jam montanista deinceps eadem verba accepit.

5. Non multum autem ponderis inesse videtur

argumento, quo maxime fidit Lumper; neque enim usus temporis futuri („alius libellus hunc gradum *sustinebit* adversus haereticos“) probat, librum hunc de praescriptionibus nondum tunc fuisse compositum, cum usitatus sit loquendi modus, si quis lectorem ad librum alium jam diu conscriptum delegat dicens, pluribus hoc in illo libro *probabitur* (utique lectori, ratione cujus probatio haec est futura). Ipse Tertullianus hujus loquendi usus non unum *suppeditabit* exemplum. Ita l. 2. adv. Marc. c. 27. scribit: „Ceterum Patrem nemini visum etiam commune *testabitur* Evangelium dicente Christo: *Nemo cognovit Patrem nisi Filius* (Matth. 11,27).“ Iterum l. 5. c. 19: „Soleo in praescriptione adversus haereses omnes de testimonio temporum compendium figere, priorem vindicans regulam nostram omni haeretica posteritate. Hoc nunc *probabit* et Apostolus dicens etc.“ Et de anima c. 6: „Universa conditio *testabitur* corpora de corporibus processura jam illic esse, unde procedunt;“ c. 7: „Quantum ad philosophos satis haec, quia quantum ad nostros ex abundanti, quibus corporalitas animae in ipso Evangelio *relucebit*.“ Sed non solum ulla probabili ratione ex illis verbis l. 1. adv. Marc. c. 19. posteriorem esse librum de praescr. efficitur, verum contrarium potius ex opere adv. Marc. colligitur. Nam

ante hoc opus scripsit l. de resurrectione carnis, cujus mentionem facit l. 5. c. 10: „Revertamur nunc ad resurrectionem, cui et alias quidem proprio volumine satisfecimus omnibus haereticis resistentes.“ Sed in eo volumine testatur (c. 2): „Volumen praemisimus de carne Christi, quo eam et solidam probamus adversum phantasmatis vanitatem etc.“ Ergo antequam opus illud adv. Marcionem componeret, prodiit jam libellus de carne Christi, in quo praescriptionis urgens argumentum adversus eundem haereticum, affirmat: „Sed plenius ejusmodi praescriptionibus adversus omnes haereses alibi jam usi sumus.“ Quare diu ante illud opus librum de praescriptionibus in lucem emiserat.

6. Unum est quod cl. Lumper opponit[1]),

[1]) Provocat autem pro sua opinione cl. vir ad verba, quibus primum adv. Marcionem librum absolvit Tertullianus: „Proinde si cui minus quid videmur egisse, speret reservatum suo tempori, sicut et ipsarum Scripturarum examinationem, quibus Marcion utitur.“ Cum tamen librum secundum Tertullianus ita ordiatur: „Occasio reformandi opusculi hujus, cui quid acciderit, primo libello praefati sumus, hoc quoque contulit nobis, uti duobus diis adversus Marcionem retractandis suum cuique titulum et volumen distingueremus,“ vix suspicari licebit tantum temporis praeteriisse, quantum Lumper supponit.

quodque vim hujus argumenti alioquin decretorii nonnihil imminuit, non eodem scil. prodiisse tempore libros quinque adversus Marcionem, sed haud parum temporis inter primum et ceteros praeteriisse, hinc facile fieri potuisse, ut hoc temporis intervallo liber de praescriptionibus ederetur; ita posterior erit libro primo adversus Marcionem et libro quinto prior. Sed suspicio haec non est adeo fundata, quae vim argumenti nostri omnem elevet. Ceterum librum nostrum praecessisse pleraque, si non omnia Tertulliani adversus haereticos scripta, hinc probabiliter etiam ejus opus adversus Marcionem, non temere colligimus ex verbis, quibus eundem absolvit: „Sed nunc generaliter actum est nobis adversus haereses omnes...... De reliquo si Dei gratia annuerit, etiam *specialiter* quibusdam [1]) respondebimus.“

III. Verus hujus libri titulus.

7. Censet Rigaltius vetustissimo exemplari innixus librum hunc inscribendum esse: *De*

[1]) *Specialiter* autem respondit Marcioni, Apelli, Valentinianis, quos prae ceteris in l. de praescriptionibus impugnat; cum autem nullibi affirmet se his jam specialiter respondisse, probabile videtur hunc librum de praescriptionibus praecessisse opera specialia adversus hos haereticos.

praescriptione haereticorum, quem alii sequuntur ut ex gr. Permaneder in sua biblioth. patrist. t. 2. Alii praeferunt inscriptionem: *De praescriptionibus haereticorum*, ut B. Rhenanus, Lumper, Leopold etc. Verus tamen titulus videtur esse: *De praescriptionibus adversus haereticos*. Huic enim titulo suffragantur illi loci, in quibus auctor hujus libri facit mentionem, ut adv. Marc. l. 1. c. 1; l. 5. c. 19; de carne Christi c. 2, quos supra expendimus. Praeterea libellum hunc ita concludit (c. 45.): „Nunc quidem generaliter actum est nobis *adversus* haereses omnes certis et justis et necessariis *praescriptionibus*." Eoque magis hic titulus est praeferendus, quod inscriptio: De praescriptione haereticorum sit ambigua; hinc et pleraeque editiones nostram prae se ferunt.

IV. Quid sit praescriptio.

8. Cum theologi in controversia cum haereticis Tertulliani exemplum sequentes praescriptionis argumento libenter utantur (nec immerito, validius enim illo vix aliud reperies), opportunum censemus, *praescriptionis* notionem exponere, ut argumenti, quod illa nititur, ratio intelligatur atque vis. *Praescribere* ex usu forensi romano significat excipere scil. exceptionem in lite vel

judicio opponere, per quam res ipsa controversa in discussionem non admittitur, seu tota disputatio praeciditur. Sic frequenter apud Tertullianum, ut ex gr. Apol. c. 7. respondens nefandis gentilium calumniis, quibus infanticidii, incestus etc. christianos incusabant, „De vestra, inquit, vobis dissimulatione praescribitur, non esse, quod nec ipsi audetis eruere," i. e. in horum criminum veritatem ne inquirendum quidem est, cum vel ex vestra dissimulatione, qua nec ipsi audetis verane illa sint indagare, eorum comprobetur falsitas. Ita adv. Hermogenem c. 1: „Solemus haereticis compendii gratia de posteritate praescribere. In quantum enim veritatis regula prior, quae etiam futuras haereses praenunciavit, in tantum posteriores quaeque doctrinae haereses praejudicabuntur, quia sunt quae futurae veritatis antiquiore regula praenunciabantur." Sensus est: Solemus haereticis ipsorum posteritatem opponere. Hac sola exceptione, hoc solo argumento erroris eos convincimus. Non dissimili ratione scribit Apolog. c. 47: „Expedite autem praescribimus adulteris nostris, illam esse regulam veritatis, quae veniat a Christo, transmissa per comites ipsius, quibus aliquando posteriores diversi isti commentatores probabuntur." Hinc „*praescriptio* dicuntur exceptiones illae omnes, quibus non discussa veri-

tate quaestionis nec re perpensa ostenditur, injuste oppugnari et oppugnatorem sive petitorem non esse audiendum[1]).« Praescriptio ex vario capite desumitur. In jure romano praescriptio occurrit doli, fori, temporis, rei judicatae. *Novitatis* praescriptione cum aliis patribus Tertullianus in primis, non tamen unice hoc in l. utitur[2]), qua cuncta haereticorum dogmata de-

---

[1]) Ita Lumper l. c. t. 6. p. 215. „In jure civili et canonico, inquiunt fratres de Walenburch, de praescr. cath. p. 1. c. 1, praescriptio generaliter dicitur quaelibet exceptio removens actionem et possessoris securitati consulens. Strictiore significatione dicitur praescriptio, quasi temporis praefixio et praefinitio; quando scil. ex legum auctoritate jus quoddam acquiritur, quod quidem variis modis solet evenire: unde praescriptio dicitur jus quoddam ex tempore causam trahens. Non male a nonnullis declaratur natura praescriptionis, quando exceptionem vocant ex tempore substantiam capientem, quae actioni personali vel in rem opponitur. Neque ab aliis incongrue describitur, quod sit jus quoddam ex tempore proveniens legum auctoritate vim capiens et finem litibus imponens.“ Vera quidem haec sunt, sed praescriptionis speciem unam tantum declarant, ex qua tamen facile praescriptionis ratio in genere colligitur.

[2]) Ita ex. gr. adversus haereses sui temporis praescribit ex illo ipso dicto, quo tantopere abutebantur, *quaerite et invenietis* (cc. 8—14). Si enim semper quaerunt, nondum habent veram doctrinam, nondum invenerunt; nemo enim quaerit nisi qui aut nondum

monstrat esse nova, ideoque tamquam a Christo Domino ac ejus doctrina, unica fidei nostrae regula, aliena et hinc *sine retractatu doctrinarum* (l. 1. c. 1. adv. Marcion.) i. e. quin singulorum dogmatum ineatur examen, ne audienda quidem. Peremptoria enim praescriptio nullum admittit causae ingressum vimque habet definitivae sententiae.

V. Libri conspectus.

9. Ad faciliorem libri hujus intelligentiam juverit illius structuram sententiarumque nexum paucis describere. Dividi ille potest *tres* in partes, quarum *prima* introductionis est loco (c. 1—7), *altera* disputationem principalem continet (cc. 8—44), quam *tertia* (c. 44, 45) apte concludit[1]. Admonet initio (c. 1, 2), mirandum non esse sive quod haereses sint sive quod tantum valeant, ut nonnunquam viri etiam celebres ad illas deficiant (c. 3), cum memores potius esse debeamus (c. 4.) verbi apostolici: *Oportet et haereses esse, ut et qui probati sunt, manifesti fiant in vobis* (1. Cor. 11, 19);

---

habet aut perdidit. Capite vero 30. praescribit ex defectu authenticae missionis etc.

[1]) Quid de subjecto haeresum catalogo tenendum sit, infra dicemus n. VI.

neque tamen ideo putandum est, probatos esse, qui in haereses divergunt, haeresis quippe non bonum sed malum est, quod multiplici ratione ostendit (cc. 4 — 7). Haec *introductionis* summa.

10. *Disputatio principalis*, quae corpus velut libri constituit, in *quinque* poterit distingui membra. *Primum* enim aggreditur principium liberi examinis, cui haereses omnes innituntur (c. 8—14); ostendit *deinde* haereticos nec ad disputationem ex Scripturis esse admittendos (cc. 15-19, ad quod iterum revertitur cc. 37-40); *tum* veram legitimamque methodum dignoscendae doctrinae verae a falsa proponit (cc. 19—21) eamque strenue tuetur adversus haereticorum exceptiones (cc. 22—33); *denique* (argumento accessorio) haereticos refellit ex eorum moribus ac disciplina soluta.

11. Verum haec paulo accuratius sunt delineanda. Aggressurus igitur Tertullianus haereticos *primum* expendit dictum illud Christi: *Quaerite et invenietis* (Matth. 7, 7), quo mirum in modum haeretici fere omnes illius temporis abutebantur, et quod tesserae instar prae se ferebant „ad ineundam curiositatem et importandam scrupulositatem (c. 8)“, qua curiositate semel excitata, catholicos seducerent. Ostendit (cc. 9—11.) illud dictum non infinite patere,

sed inventa vera Christi doctrina ab ulteriori quaestione (alterius scil. doctrinae) esse abstinendum, eoque tunc tantum sensu valere (c. 12.), ut quaeramus in nostro et a nostris et de nostris idque dumtaxat, quod salva regula fidei (quam c. 13. proponit) potest in quaestionem venire.

12. Sed quaerendum dicunt haeretici in Scripturis, quod laude dignum videtur, cum hoc aliud non sit, quam quaerere in nostro et de nostris. Hinc occasionem arripit Tertullianus statuendi principium (c. 15.), haereticos nec ad disputationem ex Scripturis esse admittendos, quod invicte triplici ratione probat (cc. 16, 17, 18).

13. Qua ergo ratione haeretici revincendi? qua methodo in disputationibus cum illis est utendum? Hoc clare docet c. 19. Quaerendum scil. prius est „quibus competat fides ipsa: cujus sint Scripturae: a quo et per quos et quando et quibus sit tradita disciplina, qua fiunt christiani. Ubi enim apparuerit esse veritatem disciplinae et fidei christianae, illic erit veritas Scripturarum et expositionum et omnium traditionum christianarum.“ Jam vero c. 20. ostendit „quibus competat fides, a quo et per quos et quibus sit tradita disciplina, qua fiunt christiani;“ tradita est scil. a Christo apostolis et per apostolos eorumque successores ecclesiis apostolicis. Hinc merito infert (c. 21.) praescriptionem vali-

dissimam (bimembrem) „alios non esse recipiendos praedicatores, quam (quos) Christus instituit . . . quid autem (hi) praedicaverint . . . non aliter probari debere nisi per easdem ecclesias, quas ipsi apostoli condiderunt.“ Unde invicte concludit: „Constat proinde omnem doctrinam, quae cum illis ecclesiis apostolicis matricibus et originalibus fidei conspiret, veritati deputandam id sine dubio tenentem, quod ecclesiae ab apostolis, apostoli a Christo, Christus a Deo accepit: omnem vero doctrinam de mendacio praejudicandam, quae sapiat contra veritatem ecclesiarum et apostolorum et Christi et Dei.“ Hinc orthodoxorum tessera: „Communicamus cum ecclesiis apostolicis, quod nulla doctrina diversa. Hoc est testimonium veritatis.“ Qua methodo nihil brevius simul et validius, vereque dici potest, tribus hisce capitibus libri veluti medullam contineri[1]).

14. Non contentus Tertullianus methodum statuisse quam aptissimam, qua non una alterave sed haereses omnes conterantur, quin singulorum, quae in controversiam vocantur, dogmatum ineatur permolestum taediique plenum examen, illam etiam adversus exceptiones omnes

[1]) Cf. Schrader de unitate romana, l. 1. n. 114, ubi eadem ratione Tertulliani methodum hisce cc. propositam explicat.

munit et tuetur (cc. 22—36). His ex ordine occurrit exceptionibus: 1) »non omnia apostolos scisse« (cc. 22—24); 2) omnia quidem apostolos scisse »non tamen omnia illos omnibus revelasse« (cc. 25, 26); 3) »ecclesias suo vitio aliter ea accepisse quam apostoli proferebant«; ad cujus confirmationem haeretici allegabant, correptas fuisse ab apostolo ecclesias (c. 27). Respondet: Sed nunc omnes reliquae ecclesiae cum illis, quae correptae fuerunt, eandem tenent ac docent fidem. Ergo aut ecclesiae errantes emendatae sunt aut omnes ecclesiae apostolicae in errore versantur; hoc vero admisso quot sequuntur absurda (c. 28)! in his etiam, veritate priorem esse errorem, cum haereticorum origo posterior sit manifesta (cc. 29—31). Id omnino valet adversus haereses posteriorum temporum; sed quid de illis, quae attingunt ipsam aetatem apostolicam, quae apostolis sunt coaevae? Istae convincuntur, quia deest ipsis continua episcoporum successio incipiens ab apostolis vel viris apostolicis (c. 32.), et insuper deest convenientia doctrinae earum cum doctrina apostolica, ita ut inveniantur quidem jam apostolorum tempore exstitisse, sed ab illis damnatae (c. 33.); haec dein transfert etiam in haereses sui temporis (cc. 34, 35.), sed de Ecclesia catholica affirmari non posse c. 36. ostendit.

15. His rationibus innixus iterum redit ad id, quod membro secundo hujus partis (c. 15—19.) statuerat, haereticos ad disputationem de Scripturis non esse admittendos, cum ipsorum non sint (c. 37.) ipsique eas, ut illis possint uti, multipliciter interpolent atque corrumpant (c. 38—40). Denique membro quinto alio argumento haereticos aggreditur ex eorum disciplina plane soluta (c. 41, 42), cui opponit Ecclesiae catholicae disciplinam compositam, honestam atque piam (c. 43). Disputationem suam absolvit ad judicium divinum provocans haereticos (c. 44, 45).

VI. De haeresum catalogo, qui libro de praescriptionibus subjungi solet.

16. In pluribus editionibus libello nostro adjunctus est (cc. 45—53) brevis haeresum catalogus, qui communi eruditorum consensu Tertulliano abjudicatur; certius vero illud est, eum ad hunc librum non pertinere; is enim aptissime c. 45. concluditur; in vetustissimo vero Agobardi codice catalogus hic desideratur; in cod. paterniacensi separato libello ἀνεπιγράφῳ continetur; in cod. hirsaug. ipsum l. de praescriptionibus praecedit. Nec desunt argumenta interna,

quae illum Tertulliani non esse suadent[1]). Omnes pariter in eo conveniunt, illius auctorem esse antiquum; secundum nonnullos Epiphanio et Hieronymo recentiorem[2]), secundum plures[3]), Tertulliano parem vel supparem, quae sententia praeferenda videtur. Licet vero hic catalogus ad l. de praescriptionibus integritatem non pertineat, nec tanta ejus sit pro theologiae studiosis utilitas, quam semper hac in collectione prae oculis habemus, ne tamen quid nostrae desit editioni, excludere illum noluimus. Si quis vero accuratiorem clarioremque illarum haeresum seu somniorum expositionem desideret, consulat Irenaeum l. 1. Philastrium, Epiphanium aliosque, non enim vacabat tempus in illis explicandis terere.

VII. Quaedam doctrinae capita uberius illustrata.

A. Ecclesia sacrarum Scripturarum custos.

17. Liceat nobis, quo utilior sit hic libellus studiosis theologiae, quaedam doctrinae capita summi momenti a Tertulliano statuta alio-

---

[1]) Cf. Tillemont Memoires pour servir a l' Histoire ecclès. T. 3. Not. 7. sur Tertullien.

[2]) Ita Dupin Biblioth. des Auteurs etc. 1. p. 252.

[3]) Ita Labbaeus diss. super script. t. 2. p. 384; Tillemont l. c. Cave etc.

rum patrum doctrina confirmare uberiusque illustrare. Huc pertinet inprimis regula illa fundamentalis, quam tradit n. 19: „Ubi apparuerit esse veritatem et disciplinae et fidei christianae, illic erit veritas Scripturarum et expositionum;“ aliis verbis: Ab Ecclesia discendum esse verum legitimumque divinarum literarum *canonem* earundemque verum legitimumque *sensum*, proinde Ecclesiam authenticam esse Scripturae interpretem, quod plane opponitur principio examinis privati. Neque solum hic, sed alias quoque docet Tertullianus, ab Ecclesia et per Ecclesiam quinam sint libri divinitus inspirati, nos discere oportere. Ita imprimis l. 5. adv. Marc. c. 5. cujus verba dabimus infra ad c. 21.

18. Praeter Tertullianum idem saepissime inculcat Augustinus, cujus notissima sunt verba[1]): „Ego vero Evangelio non crederem, nisi me catholicae Ecclesiae commoveret auctoritas.“ Et paulo post subdit: „In locum autem traditoris Christi quis successerit, in apostolorum actibus legimus (1, 26): cui libro necesse est me credere, si credo Evangelio, quoniam utramque Scripturam similiter mihi catholica commendat auctoritas.“ Hoc saepe contra manichaeos ecclesiasticae auctoritatis contemptores idem san-

[1]) Contra ep. fundam. n. 6. Cf. similia de consensu evang. l. 1. c. 1. n. 2; l. 4. c. 8. Cf. Katholik, 13. p. 50ss.

ctus inculcat. Ita contra Faustum disputans[1]: „Si alios, quos dicat apostolorum nostrorum, codices protulerit (Manichaeus), quomodo eis ipse auctoritatem dabit, quam per ecclesias Christi ab apostolis constitutas non accepit, ut inde ad posteros firmata commendatione transcurreret?“ Et iterum[2]: „Nostrorum porro librorum auctoritas, tot gentium consensione, per successiones apostolorum, episcoporum conciliorumque roborata, vobis adversa est.“ Egregie vero cum manichaei Evangelio secundum Matthaeum alium forte librum opponerent, advertit[3]: „Cum ergo necesse sit alterum horum librorum esse mendacem, cui nos potius censes fidem accommodare debere? Eine quem illa Ecclesia ab ipso Christo inchoata et per apostolos provecta certa successionum serie usque ad haec tempora, toto orbe terrarum dilatata, ab initio traditum et conservatum agnoscit atque approbat; an ei quem eadem Ecclesia incognitum reprobat? etc.“ Hinc disputationem suam cum Fausto manichaeo con-

---

1) L. 13. c. Faustum 4.

2) Ibid l. 13. c. 5.

3) Ibid. l. 28. c. 2. Cf. quoque l. 11. c. 5. l. 32. c. 22; l. 33. c. 6. Quamvis hisce et similibus in locis de genuinitate horum librorum proxime sit sermo, tamen quaecunque de hac dicit, a fortiori valent de eorum inspiratione.

cludens scribit[1]): „Breviter vos admoneo, qui illo tam nefando et exsecrabili errore tenemini, ut si auctoritatem Scripturarum omnibus praeferendam sequi vultis, eam sequamini, quae ab ipsius praesentiae Christi temporibus per dispensationes apostolorum et certas ab eorum sedibus successiones episcoporum, usque ad haec tempora toto orbe terrarum custodita, commendata, clarificata pervenit.“ Alias vero hanc regulam generalem statuit[2]): „In canonicis Scripturis ecclesiarum catholicarum quam plurium auctoritatem sequatur (sollers indagator), inter quas sane illae sint, quae apostolicas sedes habere et epistolas accipere meruerunt. Tenebit igitur hunc modum in Scripturis canonicis, ut eas, quae ab omnibus accipiuntur ecclesiis catholicis, praeponat eis, quas quaedam non accipiunt etc.“ Idem jam antea docuerat s. Cyrillus hierosolymitanus illuminandos. „Studiose quoque, inquit[3]), et ab Ecclesia disce, quinam sint veteris Testamenti libri, qui vero novi . . . Eos solos studiose meditare et versa, quos etiam in Ecclesia cum certa fiducia legimus: multo prudentiores et religiosio-

[1]) L. 3. c. 9.

[2]) De doctr. christ. l. 2. c. 8. n. 12.

[3]) Catech. 4. n. 33, 35. Similia reperies apud s. Athanasium ep. festivali 39. (Migne patrol. gr. 26, 1435); apnd auctorem vetustum synopsis Scripturae s. inter op. s. Athan. (ib. 28, 431.) n. 76.

res te erant apostoli et veteres episcopi Ecclesiae rectores, qui eos tradidere: tu ergo filius Ecclesiae cum sis, ne leges positas transverte.« Origenes diserte pronunciat[1]): „In his omnibus (Evangeliis) nihil aliud probamus nisi quod Ecclesia i. e. quatuor tantum Evangelia recipienda.“ Praetermittere vero non possumus verba Irenaei verbis Tertulliani plane similia. „Agnitio vera (γνῶσις ἀληθής), ita ille[2]), est apostolorum doctrina... secundum successiones episcoporum... quae pervenit usque ad nos custoditione sine fictione Scripturarum tractatio plenissima, neque additamentum neque ablationem recipiens, et lectio sine falsatione, et secundum Scripturas expositio legitima et diligens et sine periculo et sine blasphemia.“

B. Ecclesia est authentica interpres s. Scripturae.

19. Scripturarum sensum legitimum nobis tuto

---

[1]) Hom. 1. in Luc. ab Hieronymo versa (inter hujus op. Migne patrol. lat. 26, 221). Ita et apud Euseb. hist. eccles. l. 6. c. 25: „Sicut ex traditione, inquit, accepi de quatuor Evangeliis, quae sola in universa Dei Ecclesia, quae sub coelo est, citra controversiam admittuntur.“ Ipse Eusebius l. 3. c. 25. Ecclesiae traditionem exhibet qua criterium, quo veras et sinceras Scripturas ab iis distinguere possimus, quae dubiae sunt auctoritatis.

[2]) L. 4. c. 33. n. 8.

et sine periculo constare per Ecclesiam sicut Tertullianus ita et Irenaeus verbis supra allatis sat clare tradit. Hinc advertit idem s. martyr[1]: „Omnis sermo ei constabit, si et Scripturas diligenter legerit apud eos, qui in Ecclesia sunt presbyteri, apud quos est apostolica doctrina, quemadmodum demonstravimus“. Et sane antea jam docuerat[2]: „Quapropter eis, qui in Ecclesia sunt, presbyteris obaudire oportet, his qui successionem habent ab apostolis, sicut ostendimus qui cum episcopatus successione charisma veritatis certum secundum placitum acceperunt: reliquos vero, qui absistunt a principali successione et quocunque loco colligunt suspectos habere vel quasi haereticos et malae sententiae.... Ubi igitur charismata Domini posita sunt, ibi discere oportet veritatem, apud quos est ea, quae est ab apostolis Ecclesiae successio et id, quod est sanum et irreprobabile conversationis et inadulteratum et incorruptibile sermonis constat. Hi enim et eam, quae est in unum Deum, qui omnia fecit, fidem nostram custodiunt . . . et Scripturas sine periculo nobis exponunt“. Hinc postquam statuit: „Qui ergo relinquunt praeconium Ecclesiae imperitiam sanctorum pres-

---

[1]) L. 4. c. 32. n. 1.
[2]) L. 4. c. 26. n. 2, 5.

byterorum arguunt, non contemplantes, quanto pluris sit idiota religiosus a blasphemo et impudente sophista«, ita hortatur fideles: »Fugere igitur oportet sententias ipsorum (haereticorum) et intentius observare, necubi vexemur ab ipsis; confugere autem ad Ecclesiam et in ejus sinu educari[1]) et dominicis Scripturis enutriri. Plantata est enim Ecclesia paradisus in hoc mundo. Ab omni ergo ligno paradisi escas manducabitis, ait Spiritus Dei (Gen. 2, 16.) i. e. ab omni Scriptura dominica manducate: superelato autem sensu ne manducaveritis, neque tetigeritis universam haereticam dissensionem[2]).« Et profecto etiam quoad controversias de s. Scriptura valebit illa regula, quam statuit[3]): »Quid enim? Et si de aliqua modica quaestione disceptatio esset, non oporteret in antiquissimas recurrere ecclesias, in

---

[1]) Praeclare Augustinus explicans verba Ps. 57, 4: *Alienati sunt peccatores a vulva, erraverunt a ventre, locuti sunt falsa,* ait (Enarr. in h. Ps. n. 6): »Ideo ergo erraverunt a ventre, quia locuti sunt falsa? an potius ideo locuti sunt falsa, quia erraverunt a ventre? In ventre quippe Ecclesiae veritas manet. Quisquis ab hoc ventre Ecclesiae separatus fuerit, necesse est falsa loquatur; necesse est, inquam, ut falsa loquatur, qui aut concipi noluit, aut quem mater excussit.«

[2]) L. 5. c. 20. n. 2.

[3]) L. 3. c. 4. n. 1.

quibus apostoli versati sunt et ab eis de praesenti quaestione sumere quod certum et re liquidum est?« Haec est sententia Origenis: „Quoties (haeretici), inquit[1]), canonicas proferunt Scripturas, in quibus omnis christianus consentit et credit, videntur dicere: Ecce in domibus est verbum veritatis (Matth. 24, 26), sed nos illis credere non debemus, nec exire a prima et ecclesiastica traditione nec aliter credere, nisi quemadmodum per successionem Ecclesiae Dei traditum est.« Ita et Hilarius[2]): „Significat (Christus e navi docens) eos qui extra Ecclesiam positi sunt, nullam divini sermonis capere posse intelligentiam. Navis enim Ecclesiae typum praefert, intra quam verbum vitae positum et praedicatum hi, qui extra sunt et arenae modo steriles atque inutiles adjacent, intelligere non possunt«. Hinc lâudat Rufinus Gregorium nazianzenum et Basilium[3]): „Solis divinae Scripturae voluminibus operam dabant, earumque

---

[1]) Comment. in Matth. n. 46.

[2]) In Matth. c. 13. n. 1.

[3]) Hist. eccl. l. 2. c. 9. Sicut autem Rufinus hos laudat, ita graviter s. Hieronymus in illos invehitur, qui auctoritate spreta secundum principium privati examinis pro arbitrio s. Scripturas interpretantur. Sic enim habet inter alia praeclara ep. 53. al. 103. n. 6, 7: „Agricolae, caementarii, fabri, mètallorum lignorumve caesores, lanarii quoque et fullones

intelligentiam non ex propria praesumptione sed ex majorum scriptis et auctoritate sequebantur, quos et ipsos ex apostolica successione intelligendi regulam suscepisse constabat«. Quid hac de re docuerint s. Augustinus et Vincentius lirinensis constat ex eorum opusculis hac in collectione editis[1]). Absolvimus haec verbis auctoris recognitionum diu s. Clementi romano sed falso tributarum[2]): „Multas ut video ingeniosi homines ex his, quae legunt, verisimilitudines capiunt, et ideo diligenter observandum est, ut lex Dei cum legitur, non secundum proprii ingenii intelligentiam legatur. Sunt enim multa verba in

---

t ceteri, qui variam supellectilem et vilia opuscula abricantur, absque doctore non possunt esse quod cupiunt.

Quod medicorum est,
Promittunt medici, tractant fabrilia fabri
(Horat. ep. l. 1. ep. 1);

sola Scripturarum ars est, quam sibi omnes passim vindicant . . . Hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc universi praesumunt, lacerant, docent antequam discant."

[1]) Cf. s. Augustinum de utilit. cred. cc. 6, 14. opusc. t. 6; et Vincentium lirin. infra in commonit. n. 2. Clemens alex. (Stromat. l. 6. p. 676.) scribit: „Recta sunt omnia coram iis, qui intelligunt h. e. iis, qui ab ipso (Domino) declaratam expositionem Scripturarum secundum ecclesiasticam regulam accipientes conservant."

[2]) L. 10. n. 42. Cf. l. 8. n. 37.

Scripturis divinis, quae possint trahi ad eum sensum, quem sibi unusquisque sponte praesumpsit, quod fieri non oportet. Non enim sensum quem extrinsecus attuleris, alienum et extraneum debes quaerere, quem ex Scripturarum auctoritate confirmes, sed ex ipsis Scripturis sensum capere veritatis, et ideo oportet ab eo intelligentiam discere Scripturarum, qui eam a majoribus secundum veritatem sibi traditam servat.«

C. Regula proxima doctrinae verae praedicatio est Ecclesiae.

20. Hanc regulam summi momenti statuit Tertullianus c. 21. hisce verbis: »Si haec ita sint, constat proinde omnem doctrinam, quae cum illis ecclesiis matricibus et originalibus fidei conspiret, veritati deputandam, sine dubio tenentem quod ecclesiae ab apostolis, apostoli a Christo, Christus a Deo accepit. Omnem vero doctrinam de mendacio praejudicandum, quae sapiat contra veritatem ecclesiarum et apostolorum et Christi et Dei.« Eandem regulam proponit l. 4. adversus Marcionem[1]).

21. Praeiverat Tertulliano in statuenda tuendaque hac regula Irenaeus, qui ea in primis

[1]) Cf verba in annot. c. 21. de praescr. subjecta.

utitur adversus omnes haereses sui temporis. Postquam in libro primo praeclarissimi sui operis illas exposuit, atque in altero ex ratione refutavit, aggressurus illas ex verbo Dei refellere, prius definit qua ratione tuto cognosci possit doctrina Christi et apostolorum. „Traditionem itaque apostolorum, ita ille[1]), in toto mundo manifestatam, in omni ecclesia adest respicere, omnibus qui vera velint videre: et habemus annumerare eos, qui ab apostolis instituti sunt episcopi et successores eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognoverunt, quale ab his deliratur«. Et iterum postquam recensuit episcoporum seriem in ecclesia romana[2]): „Hac ordinatione et successione ea, quae est ab apostolis in Ecclesia traditio et veritatis praeconatio pervenit usque ad nos. *Et est plenissima haec ostensio*, unam et eandem vivificatricem fidem esse, quae in Ecclesia ab apostolis usque nunc sit conservata et tradita in veritate.« Alia ejusdem praeclarissima effata n. praecedenti adduximus. Hinc in praefatione ad l. 5. ait se evertisse haereticorum doctrinas „manifestato praeconio Ecclesiae, quod prophetae quidem

---

[1]) L. 3. c. 3. n. 1

[2]) Ibid. n. 3. Cf. quoque quae paulo superius ex l. 3. c. 4. n. 1. attulimus.

praeconaverunt, quemadmodum demonstravimus, perfecit autem Christus, Apostoli vero tradiderunt, a quibus Ecclesia accipiens per universum mundum sola bene custodiens tradidit filiis suis.« Irenaeum sequitur Origenes, qui ita ad rem nostram egregie scribit[1]): »Sicut enim multis apud graecos et barbaros pollicentibus veritatem, desivimus apud omnes eam quaerere, qui eam falsis opinionibus asserebant, posteaquam credidimus Filium Dei esse Christum et ab ipso nobis hanc discendam esse persuasimus; ita cum multi sint, qui se putant sentire quae Christi sunt, et nonnulli eorum diversa a prioribus sentiant, servetur vero ecclesiastica praedicatio per successionis ordinem ab apostolis tradita et usque ad praesens in ecclesiis permanens: illa sola credenda est veritas, quae in nullo ab ecclesiastica et apostolica discordat traditione.« Post Origenem audiendus Gregorius nyssenus. »Nullus mihi subcrepet, scribit ipse adversus Eunomium[2]), quod illud etiam, quod a nobis pro confesso habetur, rationibns et argumentis indigeat confirmari et probari: sufficit enim ad nostri sermonis demonstrationem quod habeamus a patribus venientem ad nos traditionem velut

---

[1]) De Principiis praef. ad l. 1. n. 2. Cf. l. 4. n. 9.
[2]) L. 4. patrol. gr. Migne 45, 654.

hereditatem quandam per successionem ex apostolis per sanctos sequentes transmissam.

22. Non minus luculenta sunt ea, quibus Fulgentius haereticos impugnat. Ita enim Felicem, cui dicaverat librum de Trinitate, alloquitur[1] „Illam ita fidem crede sincerissimae menti tuae nos velle notescere, per quam justificati sunt patriarchae, prophetae, apostoli, martyres coronati, quam hactenus per totum orbem sancta tenet Ecclesia, cujus splendor credentium mentes illustrans aeternae vitae facit esse participes. Quae usque nunc per successionum seriem in cathedra Petri apostoli Romae vel Antiochiae, in cathedra Marci evangelistae in Alexandria, in cathedra Joannis evangelistae Ephesi, in cathedra Jacobi Hierosolymae, ab episcopis ipsarum urbium praedicatur. Coge ergo arianos, donatistas, nestorianos, eutychianos, manichaeos et reliquas haereseon pestes hisce communicare ecclesiis, quibus apostoli praesederunt. Non consentiunt, quia per pravitatem fidei ab Ecclesiae unitate

---

[1]) C. 1. Cf. quoque Athanasium decr. nic. syn. n. 27. et ep. ad Epictetum, in qua relatis quibusdam erroribus contentus est contra eosdem advertisse (n. 3): „Haec dogmata Ecclesiae non sunt consona . . . . haec dogmata qui ante nos exstitere presbyteri, quique apostolorum fuere discipuli, non tradiderunt etc.“ Alia cf. ad Vinc. lir. common. c. 4.

divisi in parte esse voluerunt.« Ceterum totum Vincentii lirinensis commonitorium huc pertinet, in primis vero luculentum, quod recitat, suffragium concilii ephesini (c. 29.); nec aliud Augustinus in l. de utilitate credendi commendat. Hinc cum S. Basilii orthodoxia apud presbyteros neocaesarienses in dubium vocaretur, ipse s. doctor ad consensum et communionem cum Ecclesiae universae pastoribus tamquam ad legitimum tutissimumque tribunal provocavit. »Justius est, inquit[1]), res nostras judicari non ex uno aut altero non recte in veritate ambulantibus, sed ex multitudine episcoporum, qui nobis in toto terrarum orbe per Domini gratiam conjuncti sunt. Interrogentur Pisidae, Lycaones etc.« S. Epihanium infra audiemus ad c. 29. Cyrillum vero alexandrinum ad c. 31. commonitorii Vincentii lirinensis. Ceterum haec veritas luculentissime confirmatur veteris Ecclesiae praxi solemni. Quotiescunque enim in aliquo concilio sive universali sive particulari agebatur de damnanda aliqua haeresi vel sanciendo aliquo fidei decreto praedicatio ecclesiastica ubique vigens consulebatur; ea erat regula praecipua secundum quam proferebatur sententia. Conferantur quae annotavinus ad c. 30. Vincentii lirinensis.

---

[2]) Epist. 204. al. 75. n. 7.

D. Quae Ecclesia censeri debeat apostolica.

23. Ecclesiam esse et esse debere *apostolicam* tum ratione *originis*, quatenus a Christo per apostolos est fundata, tum ratione *doctrinae*, quam ab apostolis accipiens jugiter custodit ac profitetur, luculentissime statuit Tertullianus n. 20, nec ullus erit, qui id neget. Verum hoc non sufficere ad apostolicitatem, praesertim secundum quod est nota, qua vera Ecclesia a falsa discernitur, sat clare inculcat[1]) idem haereticorum malleus. Requiritur praeterea, ut Ecclesia sit apostolica ratione *ministerii* i. e. ut jungatur cum apostolis per interruptam nunquam pastorum seriem, „ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex apostolis vel apostolicis viris, qui tamen cum apostolis perseveraverit, habuerit auctorem vel antecessorem[2])“. Ex defectu hujus nunquam

---

[1]) Num. 32.

[2]) Tria tamen sunt hic notanda. Primo, ad apostolicitatem hanc non sufficit quaecunque pastorum series, alioquin et plures ecclesiae schismaticae apostolicae dici possent; sed formae instar requiritur, ut ipsi pastores organicam servent unionem cum reliquis Ecclesiae pastoribus, in primis cum unitatis centro, romano pontifice; rupta enim hac conjunctione rami sunt praecisi. Secundo adverti debet, ad apostolicitatem sufficere, si primus episcopus ecclesiae re-

interruptae pastorum seriei probat haereses non esse apostolicas, esse falsas et reprobandas: ex hac pastorum serie, quam Ecclesia catholica jugem ac nunquam interruptam exhibere potest, evincit illius apostolicitatem ac veritatem. Neque mirum, cum ejusmodi pastorum series argumentum sit originis apostolicae, et canalis legitimus, per quem sub assistentia s. Spiritus ad nos usque et ad singulas generationes decurrat doctrina revelata et Ecclesiae concredita.

24. Qua in doctrina consentientes habet Tertullianus reliquos patres. Jam audivimus Irenaeum et Origenem. Consentit et s. Cypri-

centis institutus sit ab episcopo ecclesiae apostolicae; sicut enim frons non immediate jungitur radici sed mediante ramo, e quo progerminat, et trunco, ita non omnes ecclesiae sunt ab apostolis immediate institutae, sed pleraeque ad apostolicam revocantur originem per alias ecclesias, quas *originales* et *matrices* vocat Tertullianus. Hinc sequitur tertio, ut ecclesia etiam nuper instituta censeri possit apostolica, satis esse, si communione jungatur, ut ramus trunco, ecclesiae romanae, quae propter nunquam interruptam pastorum successionem facile comprobatur apostolica. Idcirco patres „quoniam valde longum est, ut inquit Irenaeus adv. haer. l. 3, c. 3, omnium ecclesiarum enumerare successiones" contenti erant, romanorum pontificum seriem recensere (ut infra videbimus) et suam cum romana ecclesia demonstrare communionem.

anus, qui hoc criterio utens ita de Novatiano decernit[1]): „Novatianus in Ecclesia non est, neque episcopus computari potest, qui apostolica traditione contempta, *nemini succedens a seipso ordinatus est.*“ Eadem cum Tertulliano praescriptione adversus donatistas utitur Optatus milevitanus, qui postquam Ecclesiae catholicae apostolicitatem ex nunquam interrupta romanorum pontificum serie aliorum patrum exemplo demonstraverat, donatistas hisce verbis provocat[2]): „Vestrae cathedrae vos originem reddite, qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vindicare;“ cumque illi Victorem quendam suae factionis episcopum Romam misissent, quo possent gloriari se cathedrae romanae communione jungi, eos irridet: „Missus est igitur Victor: erat ibi *filius sine patre*, tiro sine principe, discipulus sine magistro, *sequens sine antecedente*, inquilinus sine domo, hospes sine ho-

---

[1]) Ep. 76. ad Magnum n. 3. Cf. quoque de unit. Eccl. n. 10. Opusc. t. 1.

[2]) De schism. donat. l. 2. n. 3, 4. De ejusmodi schismaticis ait etiam auctor qq. in V. et N. Testamentum q. 110: „Nam et ordinem ab apostolo Petro coeptum et usque ad hoc tempus per traducem succedentium episcoporum servatum perturbant, ordinem sibi sine origine vindicantes, hoc est corpus sine capite profitentes, unde congruit etiam eorum sedem cathedram pestilentiae appellari.“

spitio, pastor sine grege, episcopus sine populo.« Hinc factum est, ut tanta solicitudine episcoporum successio literis consignaretur eorumque catalogus in singulis texeretur ecclesiis[1]): hinc tam libenter patres in controversia de vera Christi Ecclesia ad hanc provocabant episcoporum successionem, praesertim in ecclesia romana, quae reliquarum omnium centrum est et unitatis radix[2]); hinc iisdem patribus satis erat cum Tertulliano demonstrasse, haereticos esse posterioris originis, ut illos inferrent alienos esse a vera Christi Ecclesia. »Brevem tibi apertamque animi mei sententiam proferam, inquit ad rem Hieronymus[3]), in illa Ecclesia esse permanendum, quae ab Apostolis fundata usque in hanc diem durat[4]). Sicubi audieris eos, qui dicuntur Christi, non a

[1]) Conferantur ex. gr. Eusebius in sua historia et Chronico, Hieronymus et Prosper in ejusdem continuatione.

[2]) Ita Irenaeus, auctor carminis c. Marc., Optatus milev., Epiphanius, Augustinus etc. quorum testimonia alia occasione (opusc. t. 10.) adducemus.

[3]) Dial. adv. lucif. n. 28.

[4]) Qua ratione Ecclesia duret usque in hanc diem, docet nos Augustinus l. 1. c. advers. leg. et prophet. n. 59: „Ecclesia ab apostolorum temporibus per episcoporum successiones certissimas usque ad nostra et deinceps tempora perseverat et immolat Deo in corpore Christi sacrificium laudis.“

Domino Jesu Christo, sed a quoquam alio nuncupari, ut puta marcionitas, valentinianos, montenses seu campitas, scito non Ecclesiam Christi sed antichristi esse synagogam; ex hoc enim ipso quod postea instituti sunt, eos se esse judicant, quos futuros Apostolus praenunciavit.«

E. Haeretici carent missione authentica.

25. Cum s. Paulus tam serio graviterque pronunciet: *Licet nos aut angelus de coelo evangelizet vobis praeter quam quod evangelizavimus vobis, anathema sit. Sicut praediximus et nunc iterum dico: Si quis nobis evangelizaverit praeter id, quod accepistis, anathema sit* (Gal. 1, 8 s.), merito fideles quoties aliquis aliam, quam ab Ecclesiae pastoribus acceperant, doctrinam annunciat, etiamsi se divinitus missum, reformatorem, puri evangelii praeconem jactet, postulare possunt, ut authentice probet missionem suam. Neque enim ullus rex alterius regis legatum recipiet, nisi is redditis literis fidem faciat suae legationi. Porro duplex distingui potest missio, ordinaria alia et alia extraordinaria. Ordinaria ille fruitur, qui ab Ecclesiae pastoribus ad legationem pro Deo fungendam, ad opus apostolicum vi ordinationis, electionis, mandati destinatur. Hac ca-

rent haeretici omnesque illi, qui se Ecclesiae reformatores novosque apostolos jactant, cum Ecclesia illos novam aliamque proponentes doctrinam reprobet, damnet, docendi munere et jure privet. Sed ubi deest missio ordinaria, extraordinaria esse potest; verum haec extraordinariis quoque signis, notis, argumentis comprobari debet, ne fingendi simulandique libidini lata aperiatur via: neque sufficit ad Scripturas provocare et quidquid affirmatur centenis tueri Scripturae effatis, cum id sit commune omnibus haereticis a primo usque ad novissimum; quod autem commune est omnibus haereticis, nequit esse certum criterium, quo tuto Dei legatus internoscatur[1]). Ceterum ut vidimus, jus Scripturas authentice interpretandi Ecclesiae competit; nequit proinde novus ille apostolus hoc jus contra Ecclesiam sibi vindicare, priusquam suam missionem extraordinariam, de qua quaeritur, authentice comprobaverit. Quare notae quaedam prorsus singulares, divinae, ut sunt miracula aliaque charismata supernaturalia, requiruntur[2]). Quod etiam in-

[1]) Repeti hic possunt quae praeclare disputant Tertullianus de praescr. cc. 15 ss. et Vincentius lirin. commonit. cc. 25 ss. quibus ostendunt haereticos ad disputationes ex Scripturis non esse admittendos.

[2]) Cum tamen aliunde certum sit, Ecclesiam non deficere proinde nec errare posse, neque enim unquam

ductione quadam illustrari poterit. Missus fuit Moyses missione extraordinaria ad Pharaonem pro populi israelitici liberatione, qui non contentus verbis, factis i. e. miraculis eam comprobavit. Ita passim prophetae veteris Testamenti. Quid ipse Christus missus in hunc mundum? „*Si opera non fecissem in eis*, inquit, *quae nemo alius fecit*, *peccatum non haberent* (Joan. 15, 24). Satis ei non erat se Dei filium affirmare, sed miraculis verbis suis conciliavit fidem.

Christus vel Spiritus s. eam deserere, hinc semper novus apostolus, qui aliam ab ecclesiastica doctrinam annunciaret, respuendus atque anathemate percellendus foret secundum verba Pauli supra allata, et inter illos numerandus, quos venturos praedixit Christus: *Surgent pseudochristi et pseudoprophetae: et dabunt signa magna et prodigia*, *ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi. Ecce praedixi vobis* (Matth. 24, 24). Qua de re bene disserit s. Archelaus in disputatione cum Manete n. 26, 27, 35, 36 (patrol. gr. Migne t. 10.), ubi inter alia dicit: „Cum nullius prorsus accipiat (Manes) testimonium, paracletum se esse vult credi, cum etiam si signa et prodigia faceres, falsum Christum et falsum prophetam te reputari oporteret secundum Scripturas.“ Hinc liquet quantum oporteat fideles ab Ecclesiae ore pendere, omnemque novitatem fugere; contra hanc vero nullum validius esse argumentum, quam dissensum a doctrina Ecclesiae, quae utpote indefectibilis jugiter missionem habet authenticam docendi omnes gentes.

Ita et apostoli se gesserunt, ita tot viri apostolici, qui seculorum decursu populis barbaris et in umbra mortis degentibus Evangelium annunciarunt. Merito postulari ab iis, qui se novae doctrinae apostolos jactant, signa plane evidentia, insolita, supernaturalia, quibus suam vocationem et missionem divinam comprobent, vel ipse Lutherus est confessus sibi minime constans. Cum enim interrogatus fuisset, quid de Thoma Münzer, anabaptistarum coryphaeo, qui aliam novamque promulgabat doctrinam, esset tenendum, ita senatui muelhusino respondit[1]): »Recte facturum senatum, si roget ex illo, quis docendi munus ipsi commiserit, quis evocaverit? Et si Deum nominet auctorem, tum jubeant hanc suam vocationem aliquo evidenti signo comprobare, quod si repraesentare non possit, ut tum repudietur, hoc enim Deo esse proprium atque familiare, quotiescunque formulam consuetam et rationem velit immutari, ut tum voluntatem suam aliquo signo declaret.«

26. Mirum proinde esse non debet, si et

---

[1]) Apud Sleidanum de statu relig. et Eccles. comment. l. 5. et opp. Lutheri edit. Lips. t. 19. p. 235; et halens. T. 16. p. 5. Alia testimonia ejusdem Lutheri, quae ad rem faciunt, cf. Studien und Kritiken 1862. p. 20.

Tertullianus ejusmodi ab haereticis postulet[1]) signa, et ex eorum defectu adversus illos praescribat eosque repellendos evincat. Nam ut egregie advertit contra Marcionem[2]): „Nemo veniens ex alterius auctoritate, ipse eam sibi ex sua affirmatione defendit, sed ab ipsa defendi se potius exspectat, praeeunte suggestu (i. e. patrocinio) ejus, qui auctoritatem praestat.“ Et iterum: „Plane profiteri potest semetipsum quivis. Verum professio ejus alterius auctoritate conficitur . . . Nemo sibi et professor et testis est. Praeter haec utique legisti, multos venturos qui dicant: Ego sum Christus (Luc. 21, 8). Si est qui se Christum mentiatur, quanto magis qui se apostolum praedicet Christi?“ Hoc argumento aggressus est Pacianus novatianos[3]): „An Novatianus tantum auctoritatis accepit? linguis locutus est? prophetavit? Suscitare mortuos potuit? Horum enim aliquid habere debuerat, ut evangelium novi juris induceret.“

---

1) N. 30.

2) L. 3. c. 2. et l. 5. c. 1.

3) Ep. 3. ad Sympronianum n. 1. De hoc argumento cf. Walenburch, de missione protestantium.

QUINTI SEPT. FLORENTII
TERTULLIANI

LIBER

DE PRAESCRIPTIONIBUS

ADVERSUS HAERETICOS.

---

1. Conditio praesentium temporum, etiam hanc admonitionem provocat nostram, non oportere nos mirari super haereses istas: sive quia sunt; futurae enim praenunciabantur: sive quia fidem quorundam subvertunt; ad hoc enim sunt, ut fides habendo tentationem, haberet etiam probationem[1]). Vane ergo et inconsiderate plerique hoc ipso scandalizantur, quod tantum haereses valeant.

---

[1]) Respicit hic Tertullianus verba Pauli 1. Cor. 11, 19: *Nam oportet et haereses esse, ut et qui probati sunt, manifesti fiant in vobis.* De hac ratione egregie disserit infra Vincentius lirin. in suo commonit. n. 10 ss. et 20.

Quantum si non fuissent[1]? Cum quid sortitum est, ut omnimodo sit, sicut causam accipit, ob quam sit, sic vim consequitur per quam sit, ne esse non possit.

2. Febrem denique inter ceteros mortiferos et cruciarios exitus erogando homini deputatam, neque quia est miramur, est enim; neque quia erogat[2]) hominem, ad hoc enim

---

[1]) Plures ut Pamelius, La Cerda, Semler, Leopold etc. ita legunt: Vane ergo et in considerate plerique hoc ipso scandilazantur, quod tantum haereses valeant, *quantum sint* (vel *sunt*); alii ut Rhenanus, codex vaticanus, Rigaltius etc. nostram lectionem habent, quam Heumann (Acta erud. a. 1715. mensis Jul.) glossema censet, hinc expungendam, sicut et lectionem: *quantum sint.* Sensus vero hic esse videtur: Quantum non esset mirandum, si haereses non fuissent, cum hoc in casu falsa comprobarentur Christi et apostolorum de illis vaticinia. Mirum autem esse non debet quod tantum haereses valeant. Quidquid enim est et exsistit, sicut causam i. e. rationem, finem suae exsistentiae habet, ita et vim, virtutem consequitur, qua esse suumque possit assequi finem.

[2]) *Erogat* i. e. interimit. Aptissima illustrat similitudine quod ante dixerat. Sicut enim non miramur febrem, cum semel hominem invasit, tantum posse tamque noxium habere effectum, sed illam expavescimus, abominamur et quantum in nobis est, praecavemus illiusque depellendae modum anxie quaerimus ita adversus haereses agendum est, acrique

est. Proinde haereses ad languorem et interitum fidei productas, si expavescimus hoc eas posse; prius est, ut expavescamus hoc eas esse; quae dum sunt, habent posse, et dum possunt, habent esse. Sed enim febrem ut malum, et de causa et de potentia sua, ut notum est, abominamur potius quam miramur, et quantum in nobis est, praecavemus, non habentes abolitionem ejus in nostra potestate: haereses vero mortem aeternam et majoris ignis ardorem inferentes, malunt quidam mirari quod hoc possint, quam devitare ne possint, cum habeant devitandi potestatem. Ceterum nihil valebunt, si illas tantum valere non mirentur. Aut enim dum mirantur, in scandalum subministrantur: aut quia scandalizantur, ideo mirantur, quasi quod tantum valeant, ex aliqua veniat veritate. Mirum scilicet[1], ut malum vires suas habeat: nisi quod haereses apud eos multum

---

studio connitendum ne proserpant. Quo magis enim illas mirabimur, eo plus valebunt in nos, cum haec ipsa admiratio causa fiat scandali, *quasi quod tantum valeant, ex aliqua veniat veritate*, qua nitantur.

[1]) *Mirum scil. ut* i. e. mirum scil. (ironice loquitur) quomodo. Sic rursus c. 3. *Mirum ut probatus* aliquis *retro postea excidat* i. e. mirum quomodo etc.

valeant, qui in fide non valent. In pugna pugilum et gladiatorum, plerumque non quia fortis est vincit quis, aut quia non potest vinci, sed quoniam ille qui victus est, nullis viribus fuit: adeo idem ille victor bene valenti postea comparatus, etiam superatus recedit. Non aliter haereses de quorundam infirmitatibus habent quod valent, nihil valentes, si in bene valentem fidem incurrant.

3. Solent quidem isti miriones etiam de quibusdam personis ab haeresi captis aedificari in ruinam[1]). Quare ille vel ille fidelissimi, prudentissimi et usitatissimi in Ecclesia, in illam partem transierunt? Quis hoc dicens, non ipse sibi respondet, neque prudentes, neque fideles, neque usitatos aesti-

---

[1]) *Aedificari in ruinam.* Impropria dictio. Destruimur enim, non aedificamur in ruinam. *Quare ille vel ille.* Alii malunt legere: Quare *illa vel ille*, ubi notandum foret, vocem *illa* praeponi, forte quod Tertullianus respiceret mulieres quasdam famosas haereticas. Viri *usitatissimi*, quorum infra meminit, videntur esse viri, quorum magnus in Ecclesia usus seu auctoritas, vel quorum nomen in omnium ore versatur, proin nominatissimi. Occurrit Tertullianus hic tacitae exceptioni: Sed viri graves ad haereses deficiunt, ergo non adeo spernendae videntur. Ceterum utiliter conferentur quae fuse hac de re infra disserit Vincentius in suo common. n. 11 ss.

mandos, quos haereses potuerint demutare? Et hoc mirum (opinor) ut probatus aliquis retro, postea excidat? Saul bonus prae ceteris livore postea evertitur: David vir bonus secundum cor Domini postea caedis et stupri reus est: Salomon omni gratia et sapientia donatus a Domino, ad idololatriam a mulieribus inducitur. Soli enim Dei Filio servabatur sine delicto permanere. Quid ergo si episcopus, si diaconus, si vidua, si virgo, si doctor, si etiam martyr lapsus a regula[1]) fuerit, ideo haereses veritatem videbuntur obtinere? Ex personis probamus fidem, an ex fide personas? Nemo sapiens est, nisi fidelis: nemo major, nisi christianus; nemo autem christianus, nisi qui ad finem usque perseveraverit[2]).

---

[1]) *A regula* i. e. a symbolo, fide catholica, quae symbolo continetur.

[2]) *Ad finem usque perseveraverit.* Favere haec videntur errori Joviniani, de quo scribit Hieronymus (L. 2. c. 8. adv. Jov.): „Secunda Joviniani propositio est, eos qui fuerunt baptizati, a diabolo non posse tentari. Et ne hoc stulte dicere videretur, adjecit: Quicunque autem tentati fuerint, ostendi eos aqua et non spiritu baptizatos.“ Cui errori affinis est ille calvinianorum, secundum quos vere justificatus, hinc verus christianus justitia nunquam excidere potest, multoque minus in aeternum perire. Verum huic errori non suffragari Tertullianum patet vel ex hoc n. Supponit enim viros bonos secundum cor Do-

Tu, ut homo, extrinsecus unumquemque nosti: putas quod vides, vides autem quousque oculos habes; sed oculi, inquit, Domini alti. *Homo in faciem, Deus in praecordia contemplatur* (1. Reg. 16, 7). Et ideo *cognoscit Dominus qui sunt ejus* (2. Tim. 2, 19), et *plantam quam non plantavit Pater,*

---

mini, ut David, viros omni gratia et sapientia donatos a Domino, omnes excepto solo Dei Filio cadere posse. Proinde hoc tantum significat, fidem probandam non esse ex personis, quae pro humana fragilitate mutari possunt; illum tantum esse Christi discipulum, christianum verum i. e. perfectum, qui Christi fidem non ad tempus, sed ad finem usque servat. Egregie haec illustrantur doctrina s. Bernhardi, qui triplicem distinguens fidem (ep. 42. ad Henricum archiep. senon.) mortuam, fictam, probatam, *mortuam* definit cum Apostolo „quae sine operibus est, i. e. quae non operatur ex dilectione, quasi non habens animam ipsam dilectionem, qua vegetetur et moveatur ad opera.“ *Probatam* dicit illam, quae et operatur per dilectionem et in istis operibus usque ad finem perseverat. Ita vero de *ficta* scribit: „Fictam ego arbitror illam vocari fidem, quae suscepta quidem ex caritate vita, moveri inchoat ad operandum, sed non perseverans deficit et moritur, tamquam abortiva. Efi utique sensu fictam dixerim nominatam, quo vasa oguli vocamus fictilia, non quia utilia non sint quamdiu durant, sed quia fragilia cum sint, diu minime durant. De hac fidei fictione puto illos notari, qui ad tempus credunt et in tempore tentationis recedunt.“ Cf. Lupum in h. l.

eradicat (Matth. 15, 13): et de primis novissimos ostendit, et ventilabrum in manu portat ad purgandum aream suam (Matth. 3, 12). Avolent quantum volent paleae levis fidei quocunque afflatu tentationum, eo purior massa frumenti in horrea Domini reponetur. Nonne ab ipso Domino quidam discentium scandalizati diverterunt? nec tamen propterea ceteri quoque discedendum a vestigiis ejus putaverunt. Sed qui scierunt illum vitae esse Verbum, et a Deo venisse, perseveraverunt in comitatu ejus usque ad finem; cum illis, si vellent et ipsi discedere, placide obtulisset (Joan. 6, 67 ss.). Minus est si et Apostolum ejus aliqui, Phygellus, et Hermogenes (2. Tim. 1, 15), et Philetus, et Hymenaeus reliquerunt (1. Tim. 1, 20); ipse traditor Christi de apostolis fuit. Miramur de ecclesiis ejus, si a quibusdam deseruntur, cum ea nos ostendant christianos, quae patimur ad exemplum ipsius Christi. *Ex nobis*, inquit, *prodierunt, sed non fuerunt ex nobis: si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum* (1. Joann. 2, 19).

4. Quin potius memores simus tam dominicarum praenunciationum, quam apostolicarum literarum, quae nobis et futuras haereses praenunciarunt, et fugiendas prae-

finierunt: et sicut esse illas non expavescimus, ita posse id propter quod fugiendae sunt, non miremur. Instruit Dominus multos esse venturos, sub pellibus ovium rapaces lupos. Quaenam istae sunt pelles ovium, nisi nominis christiani extrinsecus superficies? qui lupi rapaces, nisi sensus et spiritus subdoli, ad infestandum gregem Christi intrinsecus delitescentes[1])? qui pseudoprophetae sunt, nisi falsi praedicatores? qui pseudoapostoli, nisi adulteri evangelizatores? qui antichristi interim et semper, nisi Christi rebelles? Nunc sunt haereses, non minus doctrinarum perversitate Ecclesiam lacessentes, quam tunc antichristus persecutionum atrocitate persequetur: nisi quod persecutio et martyras facit, haeresis apostatas tantum. Et ideo haereses quoque oportebat esse, ut probabiles quique manifestarentur (1. Cor. 11, 19), tam qui in persecutionibus steterint, quam qui ad haereses non exorbitaverint. Neque enim eos probabiles intelligi jubet[2]), qui in haeresim fidem demutant: sicut ex diverso[3]) sibi inter-

---

1) Cf. cum his quae scribit Vinc. lir. common. n. 25. 2) Alii, ut Leopold, Migne etc. *juvat.*

3) *Ex diverso* i. e. qui ex adversa stant parte, seu adversarii, haeretici. Ceterum qui haec scripsit, post suam ad montanistas defectionem ita stilum

pretantur, quia dixit alibi: *Omnia examinate, quod bonum est tenete* (1. Thess. 5, 21); quasi non liceat omnibus male examinatis, in electionem alicujus mali impingere per errorem.

5. Porro, si dissensiones et schismata increpat[1]), quae sine dubio mala sunt, et in continenti haereses subjungit; quod malis adjungat, malum utique profitetur, et quidem majus: cum ideo credidisse se dicat de schismatibus et dissensionibus, quia sciret etiam haereses oportere esse. Ostendit enim gravioris mali prospectu de levioribus se facile

---

mutat (de pudic. c. 1): „Erit et hic adversus psychicos (i. e. catholicos) titulus, adversus meae quoque sententiae retro penes illos societatem, quo magis hoc mihi in notam levitatis objectent. Nunquam societatis repudium delicti praejudicium est, quasi non facilius sit errare cum pluribus, quando veritas cum paucis ametur. At enim me non magis dedecorabit utilis levitas, quam ornarit nocens. Non suffundor errore, quo carui, quia caruisse delector. Nemo proficiens erubescit.“ Specimen scil. habes quo usque judicii pertinacia excaecare possit intellectum hominemque reddere sibi minime constantem.

[1]) *Increpat* i. e. Paulus apostolus in 1. ep. ad Cor. 11, 18 s. *In continenti* i. e. statim. — *Quod malis adjungat.* Pamelius, La Cerda, Leopold etc. legunt *adjungit*; Heumann (in actis erud. 1714. mensis Julii p. 302.) mallet legere *adjugat.*

credidisse. Certe non ut ideo de malis crediderit, quia haereses bonae essent, sed uti de pejoris quoque notae tentationibus praemoneret non esse mirandum, quas diceret tendere ad probabiles quosque manifestandos, scilicet quos non potuerint depravare. Denique si totum capitulum ad unitatem continendam, et separationes coercendas sapit, haereses vero non minus ab unitate divellunt, quam schismata et dissensiones; sine dubio et haereses in ea conditione reprehensionis constituit, in qua schismata et dissensiones: ac per hoc non eos probabiles facit, qui in haereses diverterint, cum maxime diverti ad ejusmodi[1]) objurget, edocens unum omnes loqui et idipsum sapere, quod etiam haereses non sinunt.

6. Nec diutius de isto[2]), si idem est Paulus, qui et alibi haereses inter carnalia cri-

---

[1]) *Ad ejusmodi.* Vocabulis *ejusmodi* et *hujusmodi*, advertit cl. Fessler, Tertullianus fere utitur more substantivorum et ea struit cum praepositionibus, cujus rei multa exempla dat Oehler in annot. ad l. de bapt. c. 12. Duae editiones legunt: *ad ejusmodi*, meliori ut nobis videtur sensu, quam lectionem etiam secuti sumus, licet editiones pleraeque retineant: *ab ejusmodi.*

[2]) *Neque diutius de isto*, de malo nimirum haeresis loquens tempus perdam.

mina numerat, scribens ad Galatas (Gal. 5, 20); et qui Tito suggerit, hominem haereticum post primam correptionem recusandum, quod perversus sit ejusmodi et delinquat, ut a semetipso damnatus (3, 10). Sed et in omni paene epistola de adulterinis doctrinis fugiendis inculcans, haereses taxat[1]), quarum opera sunt adulterae doctrinae: haereses dictae graeca voce ex interpretatione electionis, qua quis sive ad instituendas, sive ad suscipiendas eas utitur. Ideo et sibi damnatum[2]) dixit haereticum, quia et in quo dam-

---

1) *Taxat* i. e. carpit, reprehendit. Iis quae infra dicit, similia habet Isidorus hisp. l. 8. orig. c. 3. sic scribens: „Haeresis graece ab electione (a verbo *αἱρέω* eligo) vocatur, quod scil. unusquisque id sibi eligat, quod melius sibi esse videtur, ut philosophi peripatetici, academici, epicurei et stoici, vel sicut alii, qui perversum dogma cogitantes arbitrio suo de Ecclesia recesserunt."

2) *Sibi damnatum.* Cf. Tit. 3, 11. ubi habetur: *ὢν αὐτοκατάκριτος* ut, supra „a semetipso damnatus" vel ut vulgata vertit: *proprio judicio condemnatus.* „Haereticus propterea, inquit Hieronymus h. in l., a semetipso dicitur esse damnatus. Fornicator, adulter, homicida et cetera vitia per sacerdotes de Ecclesia propelluntur; haeretici autem in semetipsos sententiam ferunt, suo arbitrio de Ecclesia recedentes. Quae recessio propriae conscientiae videtur esse damnatio." Cf. Jud. ep. v. 19. *Hi sunt qui segregant semetipsos.*

natur, sibi elegit. Nobis vero nihil ex nostro arbitrio inducere licet, sed nec eligere quod aliquis de arbitrio suo induxerit. Apostolos Domini habemus auctores, qui nec ipsi quidquam ex suo arbitrio, quod inducerent, elegerunt; sed acceptam a Christo disciplinam fideliter nationibus assignaverunt. Itaque etiamsi angelus de coelis aliter evangelizaret, anathema diceretur a nobis (Gal. 1, 8). Providerat jam tunc Spiritus sanctus futurum in virgine quadam Philumene angelum seductionis, transfigurantem se in angelum lucis, cujus signis et praestigiis Apelles inductus, novam haeresim induxit[1]).

---

[1]) De Apelle et Philumene haec habet Rhodon apud Eusebium hist. eccl. l. 5. c. 13: „Apelles quidam (e secta scil. Marcionis) unum fatetur esse principium, prophetarum autem oracula ex adversario spiritu profecta esse docet, virginis cujusdam daemoniacae Philumenes responsis inductus.“ Et iterum de carne Christi scribit Tertullianus de Apelle c. 6: „Qui posteaquam a disciplina Marcionis in mulierem carne lapsus et dehinc in virginem Philumenem spiritu eversus est, solidum Christi corpus, sed sine nativitate, suscepit ab ea praedicare.“ De eo sermo redibit infra n. 30. et praesertim in subnexo haeresum catalogo n. 51. Singularia quaedam de Apelle referuntur in additamento ad s. Augustini l. de haers. h. 24., quod quidem, ut affirmant editores lovanienses et maurini, in Mss. non reperitur, sed

7. Hae sunt doctrinae hominum et daemoniorum, prurientibus auribus natae de ingenio sapientiae secularis, quam Dominus stultitiam vocans, stulta mundi in confusionem etiam philosophiae ipsius elegit (1. Cor. 1, 27). Ea est enim materia[1]) sapientiae secularis, temeraria interpres divinae naturae et dis-

---

judice Tillemont (Mèmoires pour servir à l' histoire ecclès. t. 2. p. 611.) vetustum censeri debet. Legimus nimirum ib.: „Hic praeterea Philumenem quandam puellam dicebat divinitus inspiratam ad praenuncianda futura: ad quam somnia atque aestus sui animi referens, divinationibus seu praesagiis ejus secretim erat solitus praemoneri, eodem phantasmate eidem Philumenae pueri habitu se demonstrante, qui puer apparens Christum se aliquando, aliquando esse assereret Paulum. A quo phantasmate sciscitans, ea soleret respondere, quae se audientibus diceret. Nonnulla quoque illam miracula operari solitam, inter quae illud praecipuum, quod in angustissimi oris ampullam vitream panem grandem immitteret, eumque extremis digitulis levare soleret illaesum, eoque solo quasi divinitus sibi cibo dato fuisset contenta." Ceterum haec Tertulliani verba respicit s. Hieronymus in Gal. 1, 8. scribens: „Vir doctissimus Tertullianus adversus Appellem et ejus virginem Philumenem, quam angelus quidam diabolici spiritus et perversus impleverat, hunc esse scribit angelum, cui multo ante quam Apelles nasceretur, Spiritus s. vaticinio sit anathema per Apostolum prophetatum."

[1]) *Ea est enim materia* (Heumann suspicatur legendum esse *mater*) i. e. tale (ejusmodi doctrinae

positionis. Ipsae denique haereses a philosophia subornantur.

Inde aeones, et formae nescio quae, et trinitas hominis apud Valentinum: platonicus fuerat. Inde Marcionis Deus melior de tranquillitate[1]: a stoicis venerat. Et ut

---

hominum et daemoniorum) est argumentum sapientiae secularis, quae est temeraria interpres *divinae naturae* et *dispositionis* i. e. theologiae et oeconomiae, Trinitatis et incarnationis. Oeconomiae i. e. dispositionis nomine libenter veteres incarnationem designabant (cf. Petav. de incarn. l. 2. c. 1), sicut theologiae nomine doctrinam de Deo, de Deo uno et trino (cf. Pet. proleg. theol. dogm. c. 1). Hujus capitis, ad quod adeo libenter provocant theologiae scholasticae hostes (contra quos cf. Kleutgen, Theologie der Vorzeit, letzter Bd. 2. Abth. praesertim n. 79.), argumentum est illud famosum, *haereticorum patriarchae philosophi* (adv. Hermog. c. 8). Unde s. Hieronymus (ep. 133. n. 2): „Pulchre quidam nostrorum ait: Philosophi patriarchae haereticorum, Ecclesiae puritatem perversa maculavere doctrina.“ Quod autem in hisce haereticis Tertullianus reprehendit non est legitimus philosophiae usus sed abusus, ut evidenter ex hoc ipso c. patet. Reprehendit enim hos haereticos, quod sua dogmata non ex divina hauserint revelatione, sed ex philosophorum fontibus coenosis, eaque opposuerint doctrinae divinitus revelatae.

[1]) Non vacat pluribus somnia Valentini et Marcionis exponere, de quibus cf. infra cc. 33, 49, 51. *Trinitas hominis.* Respicit hic trychotomiam valentinianam, quam fuse exponit Irenaeus l. 1. c. 5 ss.

anima interire dicatur, ab epicureis observatur. Et ut carnis restitutio negetur, de una omnium philosophorum schola sumitur [1]).

„Triplicem nimirum in uno homine, inquit Massuetus in diss. 1. praevia ad Iren. ll. a 1. n. 72, hominem (seu naturam) statuebant, materialem seu choicum; psychicum seu animalem a demiurgo insufflatum; et spiritualem, ortum videlicit e spiritali semine, quod ex angelorum contemplatione protulit Achamoth, quem per demiurgum ceu per canalem, eo tamen inscio, una cum ejus insufflatione inspersit omnium mater etc.“ Hunc vero errorem Valentinum ex Platone hausisse affirmat etiam Irenaeus. *Marcionis Deus melior de tranquillitate.* Nam Marcion docebat Deum supremum, quem bonum appellabat et Deum N. T., nihil eorum quae sunt in mundo condidisse: creata haec esse a Deo V. T., a Deo judaeorum, qui etiam est judex. Illum vero Deum N. T. adeo bonum affirmabat, ut nullas irroget poenas absolveritque etiam atque salvaverit Cain, sodomitas, Pharaonem cum suis aegyptiis et quosvis alios impios a. V. T. Deo damnatos. Hoc vero didicit Marcion a stoicis, quorum errorem ita Tertullianus (de testim. animae c. 2.) exponit: „Sunt qui etsi Deum non negent, dispectorem plane et arbitrum et judicem non putant, in quo utique nos maxime rejiciunt, qui ad istam christianitatis disciplinam metu praedicati judicii transvolamus, sic Deum honorantes, dum curis observationis et molestiis absolvunt etc.“

[1]) *De una omnium philosophorum schola sumitur.* „In nulla re, inquit Augustinus s. 2. in Ps. 88, tam vehementer, tam pertinaciter, tam obnixe et contentiose contradicitur fidei christianae,

Et ubi materia cum Deo aequatur[1]), Zenonis disciplina est: et ubi aliquid de igneo Deo allegatur[2]), Heraclitus intervenit. Eadem materia apud haereticos et philosophos volutatur, idem retractatus implicantur[3]). Unde malum et quare? et unde homo, et quomodo? et quod proxime Valentinus proposuit, unde Deus? Scilicet de enthymesi et ectromate[4]).

Miserum Aristotelem! qui illis dialecticam instituit, artificem struendi et destruendi, versipellem in sententiis, coactam in con-

---

sicut de carnis resurrectione. Nam de animi immortalitate multi etiam gentium philosophi multa disputaverunt, et immortalem esse animum humanum, pluribus et multiplicibus libris conscriptum reliquerunt. Cum ventum fuerit ad resurrectionem carnis, non titubant sed apertissime contradicunt. Et contradictio eorum talis est, ut dicant fieri non posse, ut caro ista terrena possit in coelum ascendere.“ Hinc s. 215. n. 6 advertit: „Sola haec fides est, quae christianos ab omnibus hominibus discernit et separat.“

1) *Materia cum Deo aequatur*, cum scil. statuitur materia aeterna, ut egregie ostendit ipse Tertullianus l. adversus Hermog. c. 4. Cf. infra c. 33.

2) *De igneo Deo.* Notat hic Apellem, de quo cf. 34. et 30, 33, 51. Jam vero de Heraclito refert Tertullianus apolog. c. 47, eum censuisse Deum esse ex igne.

3) *Idem retractatus implicantur* i. e. eadem recoquuntur crambe repetita.

4) De his Valentini nugis cf. infra c. 49.

jecturis, duram in argumentis, operariam contentionum, molestam etiam sibi ipsi, omnia retractantem, ne quid omnino tractaverit.

Hinc illae fabulae et genealogiae interminabiles, et quaestiones infructuosae, et sermones serpentes velut cancer (1. Tim. 1, 4; 2. ep. 2, 17 ss. Tit. 3, 9); a quibus nos Apostolus refrenans, nominatim philosophiam contestatur caveri oportere, scribens ad Colossenses: *Videte ne quis vos circumveniat per philosophiam et inanem seductionem, secundum traditionem hominum, praeter providentiam Spiritus sancti* (2, 8). Fuerat Athenis, et istam sapientiam humanam, affectatricem[1]) et interpolatricem veritatis de congressibus noverat, ipsam quoque in suas haereses multipartitam varietate sectarum invicem repugnantium.

Quid ergo Athenis et Hierosolymis? quid academiae et Ecclesiae? quid haereticis et christianis? Nostra institutio de porticu Salomonis est, qui et ipse tradiderat Dominum in simplicitate cordis esse quaerendum[2]).

---

[1]) *Affectatricem* quae scil. veritatem se habere ac dare posse falso jactat. *Haeresis* nomine hic designat sententiam (vel sectam) quamlibet a veritate discrepantem. Cf. Fessler Instit. patrol. 1, 641.

[2]) Respicit ad verba Sap. 1, 1: *In simplicitate*

Viderint qui stoicum et platonicum et dialecticum christianismum protulerunt.

8. Nobis curiositate opus non est post Christum Jesum, nec inquisitione post Evangelium: cum credimus, nihil desideramus ultra credere. Hoc enim prius credimus, non esse quod ultra credere debeamus[1]).

Venio itaque ad illum articulum, quem et nostri praetendunt ad ineundam curiositatem, et haeretici inculcant ad importandam scrupulositatem. Scriptum est, inquiunt, *quaerite, et invenietis* (Matth. 7, 7). Quando hanc vocem Dominus emisit, recordemur: puto in primitiis ipsis doctrinae suae, cum adhuc dubitaretur apud omnes, an Christus esset; et cum adhuc nec Petrus illum Dei Filium pronunciasset: cum etiam Joannes, de illo certus esse desisset[2]). Merito ergo tunc di-

---

cordis quaerite illum; et ea quae leguntur Act. 5, 12: *Et erant unanimiter omnes in porticu Salomonis.* Idciro autem porticus templi, quem stoicorum porticui opponit, Salomonis dicebatur, quia ruinis porticus Salomonis superstructa erat.

[1]) *Non esse quod ultra* etc. i. e. postquam veram fidem semel accepimus, credimus etiam ad salutem eam sufficere, nec aliam esse quaerendam.

[2]) *Esse desisset.* Eundem errorem tradit Tertullianus de baptismo c. 10 (op. t. 7. p. 167.) Neque probabilis est conjectura Rigaltii, qui inter-

ctum est, *quaerite et invenietis*, quando quaerendus adhuc erat, qui adhuc agnitus non erat; et hoc quantum ad judaeos. Ad illos enim pertinet totus sermo suggillationis istius, qui habebant ubi quaererent Christum. *Habent*, inquit, *Moysen* (Luc. 16, 29) et Heliam, id est Legem et prophetas Christum praedicantes: secundum quod et alibi aperte: *Scrutamini*, inquit, *Scripturas, in quibus salutem speratis, illae enim de me loquuntur* (Joan. 5, 39). Hoc erit, quaerite et invenietis. Nam et sequentia in judaeos competere manifestum est, *pulsate et aperietur vobis*. Judaei retro penes Deum fuerant, dehinc ejecti ob delicta, extra Deum[1]) esse coeperunt. Nationes vero nunquam penes Deum, nisi stillicidium de situla, et pulvis ex area (Is. 40, 15); et foris semper. Itaque qui foris semper, quomodo pulsabit eo ubi nunquam fuit? quam januam novit, in quam nec receptus,

---

punctione mutata sensu plane opposito haec explicat. Ita scil. interpungit: Cum etiam Joannes, de illo certus, *esse desisset* i. e. vivere cessasset, obiisset.

[1]) *Extra Deum* i. e. extra Dei consortium, domum. Gentes nunquam fuerunt intra Dei domum, nunquam etiam ejecti sed foris semper. Si quid proinde sunt penes Deum, non sunt nisi stillicidium de situla et pulvis ex area, non vero filii et domestici.

nec ejectus aliquando? an[1]) qui scit se intus fuisse et foras actum, is potius pulsavit, et ostium novit?

Etiam *Petite et accipietis* ei competit, qui sciebat a quo esset petendum, a quo et erat aliquid repromissum: a Deo scilicet Abraham, Isaac et Jacob, quem nationes non magis noverant quam ullam repromissionem ejus. Et ideo ad Israel loquebatur: *Non sum*, inquit, *missus, nisi ad oves perditas domus Israel* (Matth. 15, 24). Nondum canibus jactabat panem filiorum: nondum in viam nationum ire mandabat. Si quidem in fine praecepit, ut vaderent ad docendas et tinguendas nationes; consecuturi mox Spiritum sanctum paracletum, qui illos deducturus esset in omnem veritatem. Et hoc erga illos facit[2]): quod si nationibus destinati doctores

---

[1]) *An* in significatione *annon* hic accipiendum est.

[2]) *Erga illos facit.* Hunc locum ita Heumann emendat: Et hoc erga illos si vacat, qui nationibus .... multo magis vacabit erga nos. Sensus vero est: Quod si hoc praeceptum: *Quaerite et invenietis*, non est apostolis datum, quorum doctor futurus erat Spiritus s., proinde ad illos non spectat, neque etiam ad nos pertinebit, quibus ultro erat obventura doctrina per apostolos. Omnia quidem dicta Domini ad omnium utilitatem prolata sunt, etiam ea, quae ad judaeos referuntur; cum tamen pleraque in personas

apostoli, ipsi quoque doctorem consecuturi erant paracletum; multo magis vacabit erga nos, *quaerite et invenietis*: quibus ultro erat obventura doctrina per apostolos, et ipsis apostolis per Spiritum sanctum. Omnia quidem dicta Domini omnibus posita sunt, quae per aures judaeorum ad nos transierunt; sed pleraque in personas directa, non proprietatem admonitionis nobis constituerunt sed exemplum.

9. Cedo nunc sponte de gradu isto: omnibus dictum sit: *Quaerite et invenietis*; tamen et hic expedit sensu certare cum interpretationis gubernaculo[1]. Nulla vox divina ita dissoluta est et diffusa, ut verba tantum defendantur, et ratio verborum non constituatur.

Sed in primis hoc propono: unum utique

---

speciales, ad auditores dirigantur, non proprium semper continent praeceptum, quod nos etiam obliget, sed exemplum saepe praebent pro opportunitate nobis accomodandum.

[1]) *Cum interpretationis gubernaculo.* Varia est h. l. lectio. Rhen. *Sensus certare* etc. Rig. *expendit* sensu certare etc. Leop. *Tamen et hic expetit sensus certae interpretationis gubernaculum.* Sensus vero est, certandum esse, non solis Scripturae verbis, sed verbis sano sensu intellectis; neque enim sufficit solum proferre verba, nisi legitime etiam exponantur. Ad rem Hieronymus contra haereticos scribit (dial.

et certum aliquid institutum[1]) esse a Christo, quod credere omnimodo debeant nationes, et idcirco quaerere, ut possint cum invenerint credere. Unius porro et certi instituti, infinita inquisitio non potest esse: quaerendum est donec invenias, et credendum ubi inveneris: et nihil amplius, nisi custodiendum quod credidisti: dum hoc insuper credas, aliud non esse credendum, ideoque nec requirendum, cum id inveneris et credideris, quod ab eo institutum est, qui non aliud tibi mandat inquirendum, quam quod instituit.

De hoc quidem si quis dubitat, constabit penes nos esse id, quod a Christo institutum est. Interim ex fiducia probationis praevenio admonens quosdam[2]), nihil esse quaerendum

---

adv. lucif. n. 28): „Nec sibi blandiantur si de Scripturarum capitulis videntur sibi affirmare quod dicunt, quum et diabolus de Scripturis aliqua sit locutus et Scripturae non in legendo consistant. Alioquin si literam sequimur, possemus et nos quoque novum nobis dogma componere, ut asserat in Ecclesiam non recipiendos qui calceati sint et duos tunicas habeant."

[1]) *Unum .... institutum* .i e. unum doctrinae corpus, veritatis summam, certam aliquam doctrinam.

[2]) *Admonens quosdam* i. e. catholicos propter istud dictum Domini ab haereticis allegatum nutantes. Infra: *Sine disciplina* rationis i. e. irrationabiliter, contra sanam rationem, contra eum disciplinae modum, quem sana ratio praescribit.

ultra quod crediderunt id esse quod quaerere debuerunt: ne quaerite et invenietis sine disciplina rationis interpretentur.

10. Ratio autem dicti hujus in tribus articulis constitit: in re, in tempore, in modo. In re, ut quid sit quaerendum consideres: in tempore, ut quando: in modo, ut quousque. Igitur quaerendum est quod Christus instituit; utique quando non invenis[1]); utique donec invenias. Invenisti autem cum credidisti. Nam non credidisses, si non invenisses; sicut nec quaesisses, nisi ut invenires. Ad hoc ergo quaeris ut invenias, et ad hoc invenis ut credas. Omnem prolationem[2]) quaerendi et inveniendi credendo fixisti. Hunc tibi modum statuit fructus ipse quaerendi. Hanc tibi fossam determinavit ipse, qui te non vult aliud credere, quam quod instituit, ideoque nec quaerere.

Ceterum si quia et alia tanta ab aliis sunt instituta, propterea in tantum quaerere debemus, in quantum possumus invenire, semper quaeremus, et nunquam omnino credemus.

---

[1]) *Utique quando non invenis.* Haec adjecta censet Leop.; Pam. habet: *Utique quamdiu* etc.

[2]) *Prolationem* (forte *protelationem*) i. e. tenorem, continuationem; credendo scil. terminum posuisti, fixisti inquisitioni ac proinde a quaerendo cessare debes. Infra: *Fossa* idem ac terminus, modus.

Ubi enim erit finis quaerendi? ubi statio credendi? ubi expunctio[1]) inveniendi? Apud Marcionem? sed et Valentinus proponit, *quaerite et invenietis.* Apud Valentinum? sed et Apelles hac me pronunciatione pulsabit, et Hebion, et Simon, et omnes ordines[2]) non habent aliud, quo se mihi insinuantes, me sibi addicant. Ero itaque nusquam[3]), dum ubique convenior, *quaerite et invenietis* et velut si nusquam, et quasi qui nunquam apprehenderim illud quod Christus instituit; quod quaeri oportet, quod credi necesse est.

11. Impune erratur, nisi delinquatur[4]), quamvis errare delinquere est: impune, in-

---

[1]) *Expunctio* i. e. complementum, finis.

[2]) *Ordines* seu sectae.

[3]) *Ero itaque nusquam.* Hic est fructus perpetuae hujus inquisitionis, dubius semper haerebo et incertus de Christi doctrina. Nonnulli legendum censent: *Erit itaque nusquam, dum ubique convenio* (forte *invenio*); alii nostram habent lectionem, tamen in codd. legi *convenio* affirmat Leopoldus, qui etiam h. c. verba ultima: *Quod quaeri oportet, quod credi necesse est* spuria esse suspicatur.

[4]) *Nisi delinquatur.* Se ipsum explicat Tertullianus. Impune erratur i. e. impune aliquis vagatur, si non delinquit, si boni nihil derelinquit, deserit. Licet omnis qui errat, delinquat, deserat veritatem, non tamen omnis error poena est dignus, sed tunc tantum si quod est credendum deseritur.

quam, vagatur, qui nihil deserit. At enim si quod debui credere credidi, et aliud denuo puto requirendum, spero utique et aliud esse inveniendum; nullo modo speraturus istud, nisi quia aut non credideram qui videbar credidisse, aut desii credidisse. Ita fidem meam deserens, negator invenior. Semel dixerim, nemo quaerit, nisi qui aut non habuit, aut perdidit. Perdiderat unam ex decem drachmis anus illa, et ideo quaerebat; ubi tamen invenit, quaerere desiit (Luc. 15, 8). Panem vicinus non habebat, et ideo pulsabat: ubi tamen apertum est ei et accepit, pulsare cessavit (Ib. 11, 5). Vidua a judice petebat audiri, quia non admittebatur: sed ubi audita est, hactenus institit (Ib. 18, 3). Adeo finis est et quaerendi, et pulsandi et petendi. *Petenti enim dabitur*, inquit, *et pulsanti aperietur, et quaerenti invenietur* (Ib. 11, 9). Viderit qui quaerit semper, quia non invenit: illic enim quaerit, ubi non invenietur. Viderit qui semper pulsat, quia nunquam aperietur: illic enim pulsat, ubi nemo est. Viderit qui semper petit, quia nunquam audietur: ab eo enim petit, qui non audit.

12. Nobis etsi quaerendum esset adhuc et semper, ubi tamen quaeri oportet? Apud haereticos, ubi omnia extranea et adversaria

nostrae veritati, ad quos vetamur accedere? Quis servus cibaria ab extraneo, ne dicam ab inimico domini sui sperat? Quis miles ab infoederatis, ne dicam ab hostibus regibus, donativum et stipendium captat; nisi plane desertor et transfuga et rebellis? Etiam anus illa intra tectum suum drachmam requirebat: etiam pulsator ille vicini januam tundebat: etiam vidua illa non inimicum, licet durum judicem interpellabat. Nemo inde instrui potest, unde destruitur: nemo ab eo illuminatur, a quo contenebratur. Quaeramus ergo in nostro, et a nostris, et de nostro: idque duntaxat quod, salva regula fidei, potest in quaestionem devenire[1]).

[1]) Egregia regula. Si christiani quid quaerere volunt, haec quatuor servanda sunt. Quaerendum est 1) *in nostro*, in materia, doctrina nobis tradita, non apud philosophos, in pseudophilosophia. Quaerendum est 2) *a nostris* i. e. non ab haereticis, sed ab iis, quos Deus posuit in Ecclesia doctores et pastores, qua de re egregie disserit s. Augustinus de utilitate credendi c. 6. (Opusc. t. 6. p. 23 ss.). Quaerendum est 3) *de nostro* scil. de rebus ad fidem nostram spectantibus, non de alienis, quae scire non est opus; tamen 4) *salva fidei regula* i. e. symbolo, quod est regula fidei nostrae. Hoc symbolum vel forte ejus paraphrasim c. 13. proponit, omisso articulo de sepultura et descensu J. Christi ad inferos (quem etiam omittit de velandis virg. c. 1).

13. Regula est autem fidei, ut jam hinc quid defendamus profiteamur, illa scilicet qua creditur unum omnino Deum esse; nec alium praeter mundi conditorem, qui universa de nihilo produxerit, per Verbum suum primo omnium emissum: id Verbum Filium ejus appellatum, in nomine Dei varie visum a patriarchis, in prophetis semper auditum, postremo delatum ex spiritu Patris Dei et virtute in virginem Mariam, carnem factum in utero ejus, et ex ea natum egisse Jesum Christum[1]): exinde praedicasse novam legem, et novam promissionem regni coelorum, virtutes fecisse, fixum cruci, tertia die resurrexisse; in coelos ereptum sedisse ad dexteram Patris; misisse vicariam vim Spiritus sancti, qui credentes agat; venturum cum claritate ad sumendos sanctos in vitae aeternae et promissorum coelestium fructum, et ad profanos adjudicandos igni perpetuo, facta utriusque partis[2]) resuscitatione cum carnis restitutione.

---

[1]) *Egisse Jesum Christum* i. e. Verbum hominis personam induit, in se suscepit omniaque egit, quae de Jesu Christo fuerant praedicta. Nonnullis placet emendatio Fulvii Ursinii: *Natum exisse J. Christum*; Pamelio: *natum hominem et esse J. Christum*; Wouwerio: *natum hominem exstitisse J. Christum.*

[2]) *Utriusque partis* i. e. piorum et impiorum.

14. Haec regula a Christo, ut probabitur, instituta, nullas habet apud nos quaestiones, nisi quas haereses inferunt, et quae haereticos faciunt. Ceterum[1]) manente forma ejus in suo ordine, quantum libet quaeras et tractes, et omnem libidinem curiositatis effundas, si quid tibi videtur vel ambiguitate pendere, vel obscuritate obumbrari; est utique frater aliquis doctor gratia scientiae donatus: est aliquis inter exercitatos conversatus; aliquis tecum curiosus, tecum tamen quaerens: novissime ignorare melius est, ne quod non debeas noris, quia quod debeas nosti[2]). *Fides*, inquit, *tua te salvum fecit* (Luc. 18, 42) non exercitatio Scripturarum. Fides in regula posita est: habes legem[3]), et salutem de observatione legis: exercitatio autem in curiositate consistit, habens gloriam solam de peritiae studio. Cedat curiositas fidei, cedat gloria

[1]) Hoc in capite regulam supra (c. 12.) datam, quaerendum esse *in nostro*, *de nostro*, *a nostris*, uberius explicat.

[2]) *Quia quod debeas nosti.* Haec verba omittunt Semler et Leopold.

[3]) *Habes legem* scil. credendi et hujus legis, si eam serves, fructus est salus animae, cum contra exercitationis, disputationis, quae ex curiositate originem trahit, fructus sit vana gloria de peritiae studio.

saluti: certe aut non obstrepant, aut quiescant; adversus regulam nihil scire, omnia scire est.

Ut non [1]) inimici essent veritatis haeretici, ut de refugiendis eis non praemoneremur, quale est conferre cum hominibus, qui et ipsi adhuc se quaerere profiteantur? Si enim adhuc vere quaerunt, nihil adhuc certi repererunt: et ideo quaecunque videntur interim tenere, dubitationem suam ostendunt quandiu quaerunt. Itaque tu qui perinde quaeris, spectans [2]) ad eos qui et ipsi quaerunt, dubius a dubiis, incertus ab incertis, coecus a coecis in foveam deducaris necesse est.

Sed quum decipiendi gratia praetendunt se adhuc quaerere, ut nobis per sollicitudinis injectionem tractatus suos insinuent: denique ubi adierint ad nos [3]), statim, quae dicebant quaerenda esse, defendunt: jam illos sic de-

---

[1]) *Ut non* i. e. sed concesso etiam haereticos veritatis non esse inimicos etc. quam imprudens est, penes eos quaerere, qui eam nondum habent sed adhuc quaerunt.

[2]) *Spectans* i. e. respiciens ad eos etc.

[3]) Ubi *adierint ad nos.* Si semel aditum ad aures animosque nostros sibi aperuerint, statim etc. *Jam illos sic debemus refutare*, res scil. eo dirigenda est, ut etc.

bemus refutare, ut sciant nos non Christo, sed sibi negatores esse. Cum enim quaerunt adhuc, nondum tenent: cum autem non tenent, nondum crediderunt: (cum autem nondum crediderunt), non sunt christiani. At cum tenent quidem et credunt, quaerendum tamen dicunt ut defendant; antequam defendant, negant quod confitentur se nondum credidisse, dum quaerunt. Qui ergo nec sibi sunt christiani, quanto magis nobis? qui per fallaciam veniunt, qualem fidem disputant? cui veritati patrocinantur, qui eam a mendacio indicunt[1]?

15. Sed ipsi de Scripturis agunt, et de Scripturis suadent: aliunde scilicet loqui possent de rebus fidei, nisi ex literis fidei[2]?

---

[1]) *Disputant* i. e. tradunt, proponunt. *Cui veritati patrocinantur* qui mendacio utuntur ad eam suadendam? Ut enim alliciant et seducant, quaerendum esse affirmant. Postquam autem quosdam e nostris ad deserendam veritatem et ad quaerendum seduxerunt, sua somnia tamquam veram tuentur doctrinam.

[2]) Objicit sibi hic Tertullianus: At quaerendum dicunt isti haeretici in Scripturis, et hoc tamen debet esse laudabile, videtur esse quaerere in nostro et de nostro. Hanc objectionem solvit cc. 15—19; et in primis mirandum de hoc non esse advertit; *unde* enim *loqui possent de rebus fidei, nisi ex libris fidei? Venimus* etc. Omnia hucusque dicta non sunt nisi allocutionis (i. e. operis quo fideles alloqui sta-

Venimus igitur ad propositum: huc enim dirigebamus, et hoc praestruebamus allocutionis praefatione, ut jam hinc de eo congrediamur, de quo adversarii provocant. Scripturas obtendunt, et hac sua audacia statim quosdam movent: in ipso vero congressu firmos quidem fatigant, infirmos capiunt, medios cum scrupulo dimittunt. Hunc igitur potissimum gradum obstruimus, non admittendos eos ad ullam de Scripturis disputationem. Si hae sunt illae vires eorum, uti eas habere possint, dispici debet cui competat possessio Scripturarum, ne is admittatur ad eas, cui nullo modo competit.

16. Hoc de consilio diffidentiae[1]), aut de

——

tuerat) praefatio. Jam ipsam nunc aggreditur rem, ad quam praeparandam et inducendam cuncta haec praemisit. Cum autem haeretici jugiter ad Scripturas provocarent et illas allegando firmos Ecclesiae filios fatigarent, infirmos caperent, medios cum scrupulo dimitterent, hic primum gradus obstruendus erat atque demonstrandum, haereticos non esse admittendos ad ullam de Scripturis disputationem; Scripturas ab ipsis allegari non posse, ideoque allegantibus non esse attendendum, longe minus credendum, quod ista arma sint ipsis furtiva et aliena, hinc auferenda. *Dispici*, considerari *debet* cui competat possessio Scripturarum, ne is admittatur ad eam, cui nullo modo competit. Cf. Lupum in h. l.

[1]) Adductam de Scripturarum possidendarum jure

studio aliter ineundae constitutionis induxerim, nisi ratio constiterit, in primis illa, quod fides nostra obsequium Apostolo debeat, prohibenti quaestiones inire, novis vocibus aures accommodare (1. Tim. 6, 4.), haereticum post unam correptionem convenire, non post disputationem (Tit. 3, 10). Adeo interdixit disputationem, correptionem designans causam haeretici conveniendi: et hoc unam, scilicet. quia non est christianus: ne more christiani semel et iterum, et sub duobus aut tribus testibus castigandus videretur (Matth. 18, 15 s.), cum ob hoc[1]) sit castigandus, propter quod non sit cum illo disputandum.

17. Deinde quoniam nihil proficiat congressio Scripturarum, nisi plane ut stomachi quis ineat eversionem, aut cerebri. Ista haeresis non recipit quasdam Scripturas: et si quas recipit, non recipit integras: adjectionibus et detractionibus ad dispo-

---

praescriptionem valentiani reponebant esse astutum diffidentiae consilium, aut certe studium aliter ineundae constitutionis i. e. conflictionis, disputationis. Et Septimius respondet suae praescriptioni constare rationem, ideoque esse firmam. Et istam rationem affirmat fundari in Apostolo, cui nostra fides debet obsequium. Cf. Lupum in h. l.

[1]) *Ob hoc* i. e. propter errorem in fide seu defectionem a fide.

sitionem instituti sui intervertit[1]: et si aliquatenus integras praestat, nihilominus diversas expositiones commentata convertit. Tantum veritati obstrepit adulter sensus, quantum et corruptor stilus. Variae praesumptiones[2]) necessario nolunt agnoscere ea, per quae revincuntur. His nituntur quae ex falso composuerunt, et quae de ambiguitate ceperunt[3]. Quid promovebis exercitatissime Scripturarum, cum si quid defenderis, negetur; ex diverso, si quid negaveris, defendatur? Et tu quidem nihil perdes, nisi vocem in contentione: nihil consequeris, nisi bilem de blasphematione.

18. Ille vero, si quis est cujus causa in congressum descendis Scripturarum[4], ut

[1]) *Intervertit* i. e. invertit, pervertit, corrumpit.

[2]) *Praesumptionis* i. e. errores.

[3]) *De ambiguitate ceperunt*, ex locis scil. ambiguis hauserunt et propter sensus ambiguitatem delegerunt. *Promovebis* i. e. quid proficies, evinces? Praeclare quatuor haereticorum fraudes circa Scripturam carpit. Vel enim 1) libros quosdam rejiciunt, vel 2) illos mutilant et corrumpunt, vel 3) prave interpretantur vel denique 4) libros apocryphos proferunt.

[4]) *In congressum . . . Scripturarum* i. e. ad disputationem de fide ex Scriptura. Pluribus exponit quod jam significaverat s. Paulus 2. Tim. 2, 14: *Noli contendere verbis: ad nihil enim utile est,*

eum dubitantem confirmes, ad veritatem, an magis ad haereses deverget? Hoc ipso motus, quod te videat nihil promovisse, aequo gradu negandi et defendendi adversa parte statuto, certe de pari altercatione[1]) incertior discedet nesciens quam haeresim judicet. Haec utique et ipsi habent in nos retorquere: necesse est enim et illos dicere a nobis potius adulteria Scripturarum et expositionum mendacia inferri, qui proinde sibi defendant veritatem[2]).

19. Ergo non ad Scripturas provocandum est; nec in his constituendum certamen, in quibus aut nulla, aut incerta victoria est, aut par incertae. Nam etsi non ita evaderet collatio Scripturarum, ut utramque partem pa-

---

nisi ad subversionem audientium. Hanc inutilitatem testatur et haeresum historia.

[1]) Rigaltius legit: *defendendi adversa parte, statu certe pari, altercatione incertior* etc. Leopold: *defendendi, diversa parte statutum, certe et pari etc.* Migne: *statuto, certe pari* etc. Sensus vero est: Cum homines minus accuti ingenii vident tam catholicos quam haereticos aequo gradu i. e. eodem modo quaedam vel negare vel defendere sibique mutuo exprobare adulteria sive corruptionem Scripturarum expositionumque mendacia seu expositiones mendaces, fallaces, cui parti veritas sit addicenda, dubii haerebunt.

[2]) *Sibi defendant* i. e. vindicent, adscribant.

rem sisteret, ordo rerum desiderabat illud prius proponi, quod nunc solum disputandum est: quibus competat fides ipsa[1]): cujus sint Scripturae: a quo, et per quos, et quando, et quibus sit tradita disciplina, qua fiunt christiani. Ubi enim apparuerit esse veritatem et disciplinae et fidei christianae, illic erit veritas Scripturarum, et expositionum, et omnium traditionum christianarum.

20. Christus Jesus Dominus noster, permittat dicere interim, quisquis est, cujuscunque Dei filius, cujuscunque materiae homo et Deus, cujuscunque fidei praeceptor, cujuscunque mercedis repromissor[2]); quid esset, quid

---

[1]) Etiamsi post ejusmodi certamen et disputationem victoria incerta non esset aut nulla, ordo tamen rerum i. e. naturalis postulat, ut prius proponatur, ostendatur *quibus competat fides*, doctrina nimirum fidei, doctrina divinitus revelata et ab omnibus credenda et, ut infra dicit, *disciplina qua fiunt christiani*; ubi enim constiterit hanc esse, illic erunt et Scripturae genuinae nec interpolatae, earundem legitima interpretatio verusque sensus. Hac methodo quaestiones illae impeditae et perplexae, quas c. 17. attigerat, facile solvuntur omnes atque expediuntur. Similem methodum cf. ap. Augustinum de utilitate cred. c. 14 (opusc. t. 6. p. 67 ss.)

[2]) *Permittat . . . dicere repromissor*. Haec omnia sunt parenthesis instar. Sensus vero est: Praetermissis interim controversiis, quae catholicos inter et

fuisset, quam Patris voluntatem administraret, quid homini agendum determinaret, quamdiu in terris agebat, ipse pronunciabat sive populo palam, sive discentibus seorsum. Ex quibus duodecim praecipuos lateri suo adlegerat destinatos nationibus magistros. Itaque uno eorum decusso, reliquos undecim digrediens ad Patrem post resurrectionem, jussit ire et docere nationes, intinguendas in Patrem, et in Filium, et in Spiritum sanctum. Statim igitur apostoli (quos haec appellatio missos interpretatur) assumpto per sortem duodecimo Matthia in locum Judae, ex au-

---

haereticos agitari solent de Christo, *cujuscunque Dei* (novi vel veteris Testamenti) sit *filius* (de quo Marcionitae quaestionem movebant); *cujuscunque materiae homo* (sidereae putabat Apelles); *cujuscunque fidei praeceptor* (de hac controversia cf. infra c. 26); *cujuscunque mercedis repromissor* (utrum scil. secundum animam et corpus, ut docent catholici, an tantum secundum animam, ut gnostici generatim carnis resurrectionem negantes), id saltem ratum firmumque sit, Christum ipsum sive populo palam sive discipulis seorsum *quid esset* etc. tradidisse. Observatione dignum est Tertullianum hic (sicut et cc. 23, 36.) paucis verbis praecipuas sui temporis controversias perstrinxisse eosque ad tres quatuorve revocasse. Ceterum hoc et insequens caput nucleum veluti et medullam continent totius libri. Cf. quae in Proemio § 7. in haec cc. disseruimus.

ctoritate prophetiae, quae est in psalmo David, consecuti promissam vim Spiritus sancti ad virtutes et eloquium, primo per Judaeam contestata fide[1]) in Jesum Christum, et ecclesiis institutis; dehinc in orbem profecti, eandem doctrinam ejusdem fidei nationibus promulgaverunt, et proinde ecclesias apud unamquamque civitatem condiderunt, a quibus traducem fidei[2]) et semina doctrinae ceterae exinde ecclesiae mutuatae sunt, et quotidie mutuantur ut ecclesiae fiant: ac per hoc et ipsae apostolicae deputantur, ut soboles apostolicarum ecclesiarum. Omne genus ad originem suam censeatur necesse est[3]).

---

[1]) *Contestata fide.* Participium *contestata* significatione passiva accipitur, sicut cum dicitur *contestata* lite; quare sensus est: anunciata et authentice comprobata fide.

[2]) *A quibus traducem fidei.* Qui de re rustica, inquit Quintinus, scripsere, *traduces* apellant in vitibus maxime, quando ramusculi plures ex uno trunco vel uno vitis brachio diffunduntur et in alium loco deducuntur invicem connexi: non videntur a propaginibus admodum differre. Per metaphoram elegantem sane Tertullianus hic vocat traducem fidei, translationem fidei de una ecclesia in aliam. Ecclesiae nempe mutuo quasique per manus apostolicam doctrinam sibi tradidere. Ita Pamelius in h. l.

[3]) *Censeatur necesse est.* Quidquid genitum, natum ortumque est, dijudicari oportet *ad originem suam* i. e. secundum id a quo trahit originem.

Itaque tot ac tantae ecclesiae una est illa ab apostolis prima, ex qua omnes. Sic omnes prima, et apostolicae, dum una omnes probant unitatem: dum est illis communicatio pacis, et appellatio fraternitatis, et contesseratio hospitalitatis. Quae jura non alia ratio regit, quam ejusdem sacramenti una traditio[1]).

21. Hinc igitur dirigimus[2]) praescriptionem, si Dominus Jesus Christus apostolos misit ad praedicandum, alios non esse recipiendos praedicatores, quam Christus instituit; quia nec alius Patrem novit nisi Filius, et cui Filius revelavit, nec aliis videtur

---

[1]) *Sic omnes prima* etc. Plures editiones habent; *primae. Ejusdem sacramenti una traditio,* omnium scil. una fides in baptismo ab omnibus aequaliter accepta sicque diffusa. *Contesseratio* sive familiarior conjunctio, cujus indicium tessera hospitalis. Tanta vigebat inter diversarum ecclesiarum fideles conjunctio atque familiaritas, ut se mutuo exciperent hospitio. Hinc Basilius ep. 191: „Haec enim erat olim Ecclesiae gloria, ut ab orbis termino ad terminum brevibus tesseris *μικροῖς συμβόλοις* veluti viatico instructi fratres ex unaquaque ecclesia patres ac fratres omnes invenirent." Cf. ep. 203. n. 3. Tesseram autem, qua peregrinantes agnoscerentur christiani, non secus ac milites confoederati, apostolicum fuisse symbolum censet Lupus.

[2]) *Hinc dirigimus.* Hinc per modum corollarii hanc inferimus praescriptionem.

revelasse Filius, quam apostolis quos misit ad praedicandum, utique quod illis revelavit. Quid autem praedicaverint, id est, quid illis Christus revelaverit, et hic praescribam non aliter probari debere, nisi per easdem ecclesias, quas ipsi apostoli condiderunt, ipsi eis praedicando, tam viva, quod aiunt, voce, quam per epistolas postea.

Si haec ita sunt, constat proinde omnem doctrinam, quae cum illis ecclesiis apostolicis matricibus[1]) et originalibus fidei conspiret, veritati deputandam; sine dubio tenentem quod ecclesiae ab apostolis, apostoli a Christo, Christus a Deo accepit: reliquam vero omnem doctrinam de mendacio praejudicandam, quae sapiat contra veritatem ecclesiarum, et apostolorum, et Christi, et Dei. Superest ergo uti demonstremus, an haec nostra doctrina, cujus regulam supra edidimus[2]), de

---

[1]) *Ecclesiis matricibus.* Ecclesia matrix ea est, cui aliae subsunt velut ab ea genitae et exortae, graece *μητρόπολις*. *Originalibus fidei*, quae scil. inde ab origine religionis christianae exsistebant et a quibus originem sumpsit fides per orbem diffusa.

[2]) C. 13. Hac praescriptione modo utentes inquiramus utrum doctrina catholica, cujus regulam seu summam c. 13. exhibuimus, originis sit apostolicae, ceterarum vero haeresum dogmata humana sint commenta. Eadem praescriptione utitur Tertullianus

apostolorum traditione censeatur, et ex hoc ipso, an ceterae de mendacio veniant. Communicamus cum ecclesiis apostolicis, quod

---

l. 4. adv. Marc. n. 5. ut Evangeliorum, quae Ecclesia catholica recipit, probet veritatem. „In summa, sic ille, si constat id verius quod prius, id prius quod et ab initio, id ab initio quod ab apostolis: pariter utique constabit, id esse ab apostolis traditum, quod apud ecclesias apostolorum fuerit sacrosanctum. Videamus quod lac a Paulo corinthii hauserint, ad quam regulam galatae sint recorrecti, quid legant philippenses, thessalonicenses, ephesii, quid etiam romani de proximo sonent, quibus Evangelium et Petrus et Paulus sanguine quoque signatum reliquerunt. Habemus et Joannis alumnas ecclesias. Nam etsi Apocalypsim ejus Marcion respuit, ordo tamen episcoporum ad originem recensus in Joannem stabit auctorem. Sic et ceterarum generositas recognoscitur. Dico itaque apud illas, nec solas jam apostolicas, sed apud universas, quae illis de societate sacramenti confoederantur, id Evangelium Lucae ab initio editionis suae stare, quod cum maxime tuemur; Marcionis vero plerisque nec notum, nullis autem notum ut non condemnatum (i. e. quin simul ab illis condemnetur). Habet plane et ecclesias sed suas, tam posteras quam adulteras, quarum si censum requiras, facilius *apostaticum* invenias quam *apostolicum*, Marcione scil. conditore vel aliquo de Marcionis examine. Faciunt favos et vespae, faciunt ecclesias et marcionitae. Eadem auctoritas ecclesiarum apostolicarum ceteris quoque patrocinabitur Evangeliis, quae proinde per illas et secundum illas habemus, Joannis dico et Matthaei, licet et Marcus quod edidit Petri affirme-

nulla doctrina diversa: hoc est testimonium veritatis.

22. Sed quoniam tam expedita probatio est, ut si statim proferatur, nihil jam sit retractandum, ac si prolata non sit a nobis, locum interim demus diversae parti, si quid putant ad infirmandam hanc praescriptionem movere se posse. Solent dicere, non omnia apostolos scisse, eadem agitati dementia qua susum jusum[1]) convertunt, omnia quidem apostolos scisse, sed non omnia omnibus tradidisse; in utroque Christum reprehensioni

---

tur, cujus interpres Marcus etc." Opportune cum verbis, quibus hunc n. absolvit, haec Augustini conferuntur, quibus a contrario ostendit donatistas esse extra Ecclesiam: „Si autem tu a me quaeras, quibus fructibus vos potius esse lupos rapaces cognoscamus, objicio schismatis crimen: ego autem statim probabo; neque enim communicas omnibus gentibus et illis ecclesiis apostolico labore fundatis." Contra lit. Petiliani l. 2. c. 16.

[1]) *Susum jusum* (Semler et Leop. *rursus*; Oehler: *qua sursum rursus* ex codd. Agobard. et Divion). Loquendi formula ut videtur africana, qua etiam Augustinus utitur tract. 8. n. 2. et 10. in ep. s. Joan. n. 8. Idem significat *susum jusum convertunt* ac, omnia invertunt, miscent. Eandem exceptionem refellit Tertullianus Scorpiac. c. 12; exhort. ad cast. c. 4.

subjicientes, qui aut minus instructos, aut parum simplices[1]) apostolos miserit.

Quis igitur integrae mentis credere potest aliquid eos ignorasse, quos magistros Dominus dedit, individuos[2]) habens in comitatu, in discipulatu, in convictu; quibus obscura quaeque seorsim disserebat, illis dicens datum esse cognoscere arcana, quae populo intelligere non liceret (Luc. 8, 10)? Latuit aliquid Petrum, aedificandae Ecclesiae petram dictum, claves regni coelorum consecutum, et solvendi et alligandi in coelis et in terris potestatem? Latuit et Joannem aliquid, dilectissimum Domino, pectori ejus incubantem, cui soli Dominus Judam traditorem praemonstravit, quem loco suo filium Mariae demandavit? Quid eos ignorasse voluit, quibus etiam gloriam suam exhibuit, et Moysen et Heliam, et insuper de coelo Patris vocem? Non quasi ceteros reprobans, sed quoniam in tribus testibus stabit omne verbum. Ignoraverunt itaque et illi, quibus post resurrectionem quoque in itinere omnes Scripturas edisserere dignatus est.

---

[1]) *Parum simplices* i. e. dolosos, subdolos, fallaces.

[2]) *Individuos*, qui nunquam ab eo dividebantur, separabantur.

Dixerat plane aliquando: *Multa habeo adhuc vobis loqui, sed non potestis modo ea sustinere;* tamen adjiciens: *cum venerit ille Spiritus veritatis, ipse vos deducet in omnem veritatem* (Joan. 16, 12 s.), ostendit illos nihil ignorasse, quos omnem veritatem consecuturos per Spiritum veritatis repromiserat; et utique implevit repromissum probantibus actis apostolorum descensum Spiritus sancti. Quam Scripturam qui non recipiunt[1]), nec Spiritus sancti esse possunt, qui necdum Spiritum possint agnoscere discentibus missum, sed nec Ecclesiam defendere, qui quando, et quibus incunabulis institutum est hoc corpus, probare non habent. Tanti est enim illis non habere probationes eorum, quae defendunt, ne pariter admittantur traductiones eorum, quae mentiuntur[2]).

---

[1]) *Qui non recipiunt* ut Cerinthus, Ebion. Marcion (cf. adv. Marc. l. 5. c. 2); dein manichaei (cf. Aug. de util. cred. c. 3. opusc. t. 6. p. 12).

[2]) *Tanti enim est illis* etc. Videtis, inquit, quantum lucrum dimittant quantumque subeant damnum actis apostolorum rejectis. Carent enim hujus Scripturae auctoritate, qua sola demonstrari possunt Ecclesiae origo et progressus (et, ut cap. seq. ostendit, conversio et vocatio Pauli, cujus tanta est etiam penes haereticos auctoritas). Ideo autem tantum subire damnum malunt, ne libro illo admisso, ex

23. Proponunt ergo ad suggillandam ignorantiam aliquam apostolorum, quod Petrus et qui cum eo, reprehensi sint a Paulo (Gal. 2, 11). Adeo, inquiunt, aliquid eis defuit; ut ex hoc etiam illud struant, potuisse postea pleniorem scientiam supervenire, qualis obvenerit Paulo reprehendenti antecessores.

Possumus et hic acta apostolorum repudiantibus dicere: prius est uti ostendatis, quis iste Paulus, et quid ante apostolum, et quomodo apostolus: quatenus et alias ad quaestiones plurimum eo utuntur. Neque enim, si ipse se apostolum de persecutore profitetur, sufficit unicuique examinate[1]) credenti; quando nec Dominus ipse de se testimonium dixerit (Joan. 5, 31).

Sed credant sine Scripturis, ut credant adversus Scripturas: tamen doceant, ex eo

---

eodem ipsorum mendacia convellantur atque in lucem exponantur. *Traducere* enim apud Tertullianum idem est ac in lucem exponere, aperire, detegere, convincere. Eodem sensu ait Irenaeus in praef. l. 5: „In hoc libro quinto operis universi, quod est de *traductione* et eversione falsae cognominatae agnitionis."

[1]) *Sufficit unicuique examinate credenti* i. e. ei qui post diligens examen credit, ut se facere gnostici jactabant.

quod allegant Petrum a Paulo reprehensum, aliam Evangelii formam a Paulo superductam, citra eam quam praemiserat Petrus et ceteri. Quin demutatus in praedicatorem de persecutore, deducitur ad fratres a fratribus, ut unus ex fratribus, et ad illos ab illis, qui ab apostolis fidem induerant. Dehinc, sicut ipse enarrat, ascendit in Hierosolyma cognoscendi Petri causa, ex officio et jure scilicet ejusdem fidei et praedicationis. Nam et illi non essent mirati, de persecutore factum praedicatorem, si aliquid contrarium praedicaret: nec Dominum praeterea magnificassent, quia adversarius ejus Paulus obvenerat. Itaque et dexteram ei dederunt, signum concordiae et convenientiae: et inter se distributionem officii ordinaverunt, non separationem Evangelii: nec ut aliud alter, sed ut aliis alter praedicarent, Petrus in circumcisionem, Paulus in nationes (Gal. 2, 1 ss.). Ceterum si reprehensus est Petrus, quod cum convixisset ethnicis, postea se a convictu eorum separabat personarum respectu; utique conversationis fuit vitium, non praedicationis. Non enim ex hoc alius Deus, quam Creator; et alius Christus, quam ex Maria; et alia spes quam resurrectio annunciabatur.

24. Non mihi tam bene est, imo non mihi

tam male est, ut apostolos committam: sed quoniam perversissimi isti illam reprehensionem ad hoc obtendunt, ut suspectam faciant doctrinam superiorem[1], respondebo quasi pro Petro: ipsum Paulum dixisse, factum se esse omnibus omnia, judaeis judaeum, non judaeis non judaeum, ut omnes lucrificaret (1. Cor. 9, 20 ss.). Adeo pro temporibus et personis et causis quaedam reprehendebant, in quae et ipsi aeque pro temporibus et personis et causis committebant: quemadmodum si et Petrus reprehenderet Paulum, quod prohibens circumcisionem, circumciderit ipse Timotheum. Viderint qui de apostolis judicant. Bene quod Petrus Paulo et in martyrio adaequatur[2].

Sed etsi in tertium usque coelum ereptus Paulus, et in paradisum delatus audiit quaedam illic, non possunt videri fuisse, quae illum in aliam doctrinam instructiorem praestarent, cum ita fuerit conditio eorum, ut nulli hominum proderentur (2. Cor. 12, 1 ss.).

---

[1]) *Superiorem* i. e, quam apostoli primum annunciarunt. Hanc suspectam reddebant haeretici, quasi Paulo superveniente apostoli illam mutaverint seu emendaverint.

[2]) *Bene* etc. In rem nostram convenit, quod Petrus cum Paulo pro eadem passus sit fide.

Quod si ad alicujus conscientiam manavit nescio quid illud, et hoc se aliqua haeresis sequi affirmat; aut Paulus secreti proditi reus est, aut et alius postea in paradisum ereptus debet ostendi, cui permissum sit eloqui, quae Paulo mutire non licuit.

25. Sed, ut diximus, eadem dementia est, cum confitentur quidem, nihil apostolos ignorasse. nec diversa inter se praedicasse. non tamen omnia volunt illos omnibus revelasse[1]: quaedam enim palam, et universis; quaedam secreto, et paucis demandasse: quia et hoc verbo usus est Paulus ad Timotheum: *O Timothee, depositum custodi* (1. Tim. 6, 20). Et rursum: *Bonum depositum serva* (2. Tim. 9, 14). Quod hoc depositum est tacitum, ut alteri doctrinae deputetur[2]? An illius denunciationis. de qua ait: *Hanc denunciationem commendo apud te, fili Timothee* (1. Tim. 1, 18)? Item illius praecepti, de quo ait: *Denuncio tibi ante Deum, qui vivificat omnia, et Jesum Christum, qui testatus est sub Pontio Pilato bonam con-*

[1]) Eandem gnosticorum fabulam refert ac revincit s. Irenaeus l. 3. c. 5 ss.

[2]) *Ut alteri doctrinae deputetur* i. e. ut habeatur pro alia, diversa doctrina? Num non est illa denunciatio, illud praeceptum, de quo loquitur 1. Tim. 1, 18?

fessionem, custodias praeceptum (1. Tim. 6, 13 s.). Quod autem praeceptum, et quae denunciatio? Ex supra et infra scriptis intelligetur, non nescio quid subostendi hoc dicto de remotiore doctrina, sed potius inculcari de non admittenda alia praeter eam, quam audierat ab ipso, et puto palam: *Coram multis*, inquit, *testibus* (2. Tim. 2, 2). Quos multos testes, si nolunt Ecclesiam intelligi, nihil interest, quando nihil tacitum fuerit, quod sub multis testibus proferebatur. Sed nec quia voluit illum haec fidelibus hominibus demandare, qui idonei sint et alios docere; id quoque ad argumentum occulti alicujus Evangelii interpretandum est: nam cum dicit, *haec*, de eis dicit, de quibus in praesenti scribebat; de occultis autem, ut de absentibus apud conscientiam, non *haec*, sed *illa* dixisset[1]).

26. Porro consequens erat, ut cui deman-

---

[1]) Verba Pauli: *Quae audisti a me per multos testes, haec commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere* (2. Tim. 2, 2.) non significant nescio quam doctrinam arcanam. Cum enim dicat *haec*, de eis dicit, de quibus in praesenti scribit, de notis proinde. Si arcanam designare voluisset doctrinam, dixisset *illa*, quorum scil. conscii non fuissent lectores.

dabat Evangelii administrationem non passim, nec inconsiderate administrandam adjiceret secundum dominicam vocem, ne margaritam porcis, et sanctum canibus jactaret (Matth. 7, 6). Dominus palam edixit, sine ulla significatione alicujus tecti sacramenti: ipse praeceperat, si quid in tenebris et in abscondito audissent, in luce et in tectis praedicarent (Ibid 10, 27). Ipse per similitudinem praefiguraverat, ne unam mnam, id est unum verbum ejus, sine fructu in abdito reservarent (Luc. 19, 20). Ipse docebat, lucernam non sub modium abstrudi solere, sed in candelabrum constitui, ut luceat omnibus qui in domo sunt (Matth. 5, 15). Haec apostoli aut neglexerunt, aut minime intellexerunt, si non adimpleverunt, abscondentes aliquid de lumine, id est, de Dei verbo et Christi sacramento. Neminem quod scio verebantur, non judaeorum vim, non ethnicorum: quo magis utique in Ecclesia libere praedicabant, qui in synagogis et in locis publicis non tacebant. Imo neque judaeos convertere, neque ethnicos inducere potuissent, nisi quod credi ab eis volebant, ordine exponerent. Multo magis jam credentibus ecclesiis nihil subtraxissent, quod aliis paucis seorsum demandarent. Quamquam etsi quae-

dam inter domesticos, ut ita dixerim, disserebant, non tamen ea fuisse credendum est, quae aliam regulam fidei superducerent, diversam et contrariam illi, quam catholicae[1]) in medium proferebant: ut alium Deum in Ecclesia dicerent, alium in hospitio; aliam Christi substantiam designarent in aperto, aliam in secreto; aliam spem resurrectionis apud omnes annunciarent, aliam apud paucos: cum ipsi obsecrarent in epistolis suis, ut idipsum et unum loquerentur omnes, et non essent schismata et dissensiones in Ecclesia, quia sive Paulus, sive alii, eadem praedicarent (1. Cor. 1, 10). Alioquin meminerant, *sit sermo vester, est, est, non, non: quod amplius, hoc a malo est* (Matth. 5, 37), ne scilicet Evangelium in diversitate tractarent.

27. Si ergo incredibile est, vel ignorasse apostolos plenitudinem praedicationis, vel non omnem ordinem regulae omnibus edidisse; videamus ne forte apostoli quidem simpliciter et plene, ecclesiae autem suo vitio aliter acceperint quam apostoli proferebant. Omnia ista scrupulositatis incitamenta in-

---

[1]) *Catholicae.* Praeferenda videtur aliorum lectio: *catholice.*

venias praetendi ab haereticis[1]). Tenent correptas ab Apostolo ecclesias: *O insensati Galatae, quis vos fascinavit* (Gal. 3, 1)? et: *Tam bene currebatis, quis vos impediit* (Ibid 5, 7)? ipsumque principium: *Miror quod sic tam cito transferimini ab eo, qui vos vocavit in gratia, ad aliud Evangelium* (Ibid. 1, 6). Item ad Corinthios scriptum, quod essent adhuc carnales, qui lacte educarentur, nondum idonei ad pabulum; qui putarent se scire aliquid, quando nondum scirent quemadmodum scire oporteret. Cum correptas ecclesias opponunt, credant emendatas. Sed et illas recognoscant, de quarum fide et scientia et conversatione Apostolus gaudet, et Deo gratis agit: quae tamen hodie cum illis correptis unius institutionis jura miscent[2]).

28. Age nunc, omnes erraverint; deceptus sit et Apostolus de testimonio reddendo (quibusdam): nullam respexerit Spiritus sanctus, uti eam in veritatem deduceret, ad hoc missus a

---

[1]) *Ab haereticis.* Tertiam hanc exceptionem seu scrupulositatem probabant haeretici ex galatis et corinthiis, quorum dogmata s. Paulus corripuit, ideoque censuit illa devia et se ab istis prave intellectum.

[2]) *Unius institutionis jura miscent*, eandem doctrinam communionis vinculo unitae profitentur.

Christo, ad hoc postulatus de Patre, ut esset doctor veritatis: neglexerit officium Dei villicus, Christi vicarius, sinens ecclesias aliter interim intelligere, aliter credere, quod ipse per apostolos praedicabat: ecquid verisimile est, ut tot ac tantae in unam fidem erraverint[1]? Nullus inter multos eventus unus est exitus: variasse debuerat error doctrinae ecclesiarum: ceterum, quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum. Audeat ergo aliquis dicere illos errasse, qui tradiderunt?

29. Quoquo modo sit erratum; tam diu utique regnavit error, quam diu haereses non erant[2]). Aliquos marcionitas et valentinianos

[1]) *In unam fidem erraverint.* Concesso etiam Spiritum s. suum neglexisse officium etc., quod tamen incredibile, fieri nullatenus potuisset, quod tot ecclesiae in unam eamque falsam conspiraverint doctrinam, ubi enim dominatur casus, non unus sed varius est exitus, hinc pro ecclesiarum numero, variasse debuisset earundem error: vel si eadem est apud omnes ecclesias doctrina sed falsa, reliquum nihil est quam ut dicamus, illos errasse qui tradiderunt.

[2]) Sed concedamus, quodemumcunque modo, esse tamen erratum, en quae exinde sequuntur absurda: tamdiu regnasse errorem, quamdiu non erant haereses, quae sese veritatem reperisse atque in lucem protulisse gloriantur etc. Dignissimo dein sarcasmo utitur in istos fabulones, sicut et l. 1. adv. Marc. c. 20: „Ajunt Marcionem non tam novasse regulam, quam

liberanda veritas exspectabat: interea perperam evangelizabatur, perperam credebatur, tot millia millium perperam tincta, tot opera

---

retro adulteratam recurasse. O Christe patientissime Domine, qui tot annis interversionem praedicationis tuae sustinuisti, donec scil. tibi Marcion subveniret." Eodem utitur P a c i a n u s barcinon. episc. ep. 3. n. 1. ad Sympronianum adversus similem novatianorum de suo Novatiano praesumptionem ita scribens: „Ergo a Christi (subaudi: adventu) usque Decii principatum nullus intelligens? Post Decium denique omnis episcopus impatiens; omnes alii dissoluti, qui se miscere perditis mallent, qui perire cum miseris, qui alieno vulnere vulnerari? Novatiano vindice justitia liberatur, auctore corrigitur quidquid erravit." Ita et A u g u s t i n u s adversus donatistas, secundum quos Ecclesia catholica de orbe terrarum jam perierat, unde eos perbelle interrogat (l. 3. de bapt. c. 2): „Si autem tunc non erat Ecclesia, quia sacrilegi haeretici sine baptismo recipiebantur et hoc universali consuetudine tenebatur, unde Donatus apparuit? de qua terra germinavit? de quo mari emersit? de quo coelo cecidit? etc." cf. l. 2. c. 6. l. 6. c. 37. Ita et E p i p h a n i u s adversus Aerium (haer. 75. n. 7): „Jam vero utri tandem illorum peritiores sunt? An errore deceptus homuncio, qui nunc tandem emersit et adhuc hodie superstes est? An qui ante nos testes exstiterunt quique ante nos eandem traditionem in Ecclesia tenuerunt, quam et ipsi a parentibus suis acceperant et ipsorum parentes a majoribus suis didicerant: quemadmodum Ecclesia, quam a patribus suis accepit, rectam et sinceram fidem cum traditionibus ad hunc diem observat?"

fidei perperam administrata; tot virtutes, tot charismata perperam operata; tot sacerdotia, tot ministeria perperam functa; tot denique martyria perperam coronata. Aut si nec perperam, nec in vacuum, quale est ut ante res Dei currerent[1]), quam cujus Dei notum esset? ante christiani, quam Christus inventus? ante haeresis, quam vera doctrina? Sed enim in omnibus veritas imaginem antecedit: post rem similitudo succedit. Ceterum satis ineptum, ut prior doctrina[2]) haeresis habeatur: vel quoniam ipsa est quae futuras haereses et cavendas praenunciavit. Ad ejus doctrinae Ecclesiam scriptum est, imo ipsa doctrina ad Ecclesiam suam scribit: *Etsi angelus de coelo aliter evangelizaverit citra quam nos, anathema sit* (Gal. 1, 8).

30. Ubi tunc Marcion, ponticus nauclerus stoicae studiosus[3])? Ubi Valentinus platoni-

---

1) *Ut ante res Dei currerent* i. e. ut ante sacramenta, charismata, virtutes etc. quae sunt res Dei, vigerent.

2) *Prior doctrina.* Ita Wouw. e vet. cod. Aliae editt. *prior in doctrina.* Doctrina hic idem est ac vera doctrina, veritas, ut patet ex superioribus. *Vel quoniam* i. e. vel ex hac sola ratione, quod ipsa futuras haereses praenunciavit cavendas, ita ad galatas scribens etc.

3) Sequitur nunc excursus (vel ut ipse c. 31.

cae sectator? Nam constat illos, neque adeo olim fuisse, Antonini fere principatu, et in

---

loquitur *excessus*) historicus, quo haereticorum praesertim sui temporis posteriorem originem comprobat. Vocat Marcionem *nauclerum* seu nautam, ut etiam l. 3. adv. eundem c. 6. et l. 5. c. 1. (ita et Rhodon ap. Euseb. hist. eccl. l. 5. c. 13), sed forte per jocum. Ceterum difficile nonnihil est ea, quae veteres de Marcione referunt ad harmoniam revocare. Nititur haec conciliare Petavius in annot. ad Epiph. haer. 46. n. 1. scribens: „Ut consentanea loquamur, affirmandum est non Antonino demum imperante, sed sub Adriano (Marcionem) coepisse. Atque haud scio an duo illius distinguenda sint tempora, ut in plerisque haeresibus accidit, ita sub Adriano primum eruperit, postea vero sub Antonino longe lateque propagatis erroribus celebre sibi nomen pepererit. Ac Tertullianus profecto etsi sub Antonino Marcionem errorem exhalasse scribat, negat tamen scire se quoto ejus anno coeperit. *Quoto quidem anno*, inquit, *Antonini majoris de Ponto suo exhalaverit aura canicularis, non curavi investigare* (c. Marc. l. 1. c. 19). Epiphanius in marcionitarum haeresi, scribit Marcionem cum a patre suo pulsus pacem ac veniam eblandiri nullis precibus posset, Romam se post Hygini obitum (a. 142.) contulisse. Cumque nihilo magis quod cupiebat illic obtineret, tum demum publicata haeresi sua Ecclesiam oppugnasse. Hygini obitus confertur in annum Antonini 18; ante quod tempus Marcionem haeresim suam disseminasse necesse est, cum Justinus, qui Antonino et quidem imperii ejus initio, apologiam obtulit, Marcionis meminerit.

catholicae primo doctrinam credidisse apud Ecclesiam romanensem, sub episcopatu Eleutherii benedicti; donec ob inquietam semper eorum curiositatem, quam fratres quoque vitabant[1]), semel et iterum ejecti, Marcion quidem cum ducentis sestertiis quae Ecclesiae intulerat, novissime in perpetuum discidium relegati, venena doctrinarum suarum disseminaverunt. Postmodum idem Marcion poe-

---

Quare duplex, uti conjiciebamus, marcionistarum ortus esse debet. Nam primum in Ponto Asia duntaxat nefarium dogma praedicavit, idque Adriano imperante. Postea sub Antonino majores trahens spiritus vehementius in eosdem illos errores coepit incumbere.“ Quae vero hic Tertullianus de Marcione refert, vix componi possunt cum aliis Marcionis gestis aliunde notis; Eleutherius enim nonnisi a. 176. vel 177. romanam tenuit cathedram. Hinc suspicatur Tillemont (Mèmoire pour servir a l' historie ecclès. T. 2. p. 609 s.) Marcionem pro Cerdone, magistrum pro discipulo fuisse a Tertulliano per errorem positum. De Valentino autem refert Tertullianus (l. adv. valent. c. 4.): „Speraverat episcopatum Valentinus, quia et ingenio poterat et eloquio, sed alium ex martyrii praerogativa loci potitum indignatus, de Ecclesia authenticae regulae abrupit, ut solent animi pro prioratu exciti praesumptione ultionis accendi, ad expugnandam conversus veritatem, et cujusdam veteris opinionis semen nactus Colarbaso viam delineavit.“

[1]) *Quam fratres quoque vitabant.* Leop. *Qua fratres quoque* vitiabant. Alii: *qua vitabant.*

nitentiam confessus, cum conditioni datae sibi occurrit[1]), ita pacem recepturus, si ceteros quos perditione erudisset, Ecclesiae restitueret, morte praeventus est. Oportebat enim haereses esse. Nec tamen ideo bonum haereses, quia eas esse oportebat, quasi non et malum oportuerit esse: nam et Dominum tradi oportebat, sed vae traditori. Ne quis etiam hinc haereses defendat.

Si et Apellis stemma retractandum est, tam non vetus et ipse quam Marcion institutor et praeformator ejus: sed lapsus in feminam, desertor continentiae marcionensis[2]), ab oculis sanctissimi magistri Alexandriam secessit. Inde post annos regressus non melior, nisi tantum qua jam non marcionites, in alteram feminam impegit, illam virginem Philumenen, quam supra edidimus, postea vero immane prostibulum et ipsam[3]), cujus

---

[1]) *Dum conditioni . . . occurrit.* Cum in eo esset, ut datae sibi conditioni satisfaceret. Cum aggreditur satisfacere conditioni. Rigaltius.

[2]) *Desertor* etc. Non quod continenter vixerit Marcion, profligatis enim erat moribus, sed quod nuptias prohiberet. Marcionem per ironiam vocat *sanctissimum.* Cf. quae supra ad n. 6. de Apelle annotavimus.

[3]) *Ipsam* i. e. eandem illam virginem, quae facta deinde est immane prostibulum, *cujus energemate* i. e.

energemate circumventus, quas ab ea didicit Phaneroseis scripsit. Adhuc in seculo supersunt qui meminerint eorum, etiam proprii discentes et successores ipsorum, ne se posteriores negare possint. Quamquam et de operibus suis, ut dixit Dominus, revincuntur. Si enim Marcion novum Testamentum a vetere separavit, posterior est eo quod separavit, quia separare non posset, nisi quod unitum fuit. Unitum ergo antequam separaretur, postea separatum, posteriorem ostendit se-

artibus, fraudibus diabolicae originis seductus est. Daemon nimirum ipsam invadens et insidens per eam Apellem seduxit. Probat hic Tertullianus horum haereticorum originem posteriorem duplici argumento. Primo, quod adhuc supersint qui eorum auctores viderint; secundo, ex eorum operibus, separatione (V. Testamenti a novo) et emendatione seu corruptione Scripturae sacrae. Hoc alterum argumentum plane egregie fusius exsequitur l. 4. c. 4. adv. Marc. ubi inter alia haec habet: „Etiamsi angelus Marcion, citius (i. e. potius) anathema dicendus, quam (ut) evangelizator (habendus), quia aliter evangelizat. Itaque dum emendat, utrumque confirmat: et nostrum (Evangelium secundum Lucam) anterius, id emendans quod invenit; et id posterius, quod de nostri emendatione constituens, suum et novum fecit. In summa si constat id verius quod prius, id prius quod et ab initio, id ab initio quod ab apostolis, pariter quoque constabit id esse ab apostolis traditum, quod apud ecclesias apostolorum fuerit sacrosanctum.“

paratorem. Item Valentinus, aliter exponens, et sine dubio emendans, hoc omnino quidquid emendat, ut mendosum retro, anterius fuisse demonstrat.

Hos ut insigniores et frequentiores[1]) adulteros veritatis nominamus. Ceterum et Nigidius nescio quis, et Hermogenes, et multi alii qui adhuc ambulant pervertentes vias Dei, ostendant mihi ex qua auctoritate prodierunt. Si alium Deum praedicant, quomodo ejus Dei rebus et literis et nominibus utuntur adversus quem praedicant? Si eundem, quomodo aliter? Probent se novos apostolos esse: dicant Christum iterum descendisse, iterum ipsum docuisse, iterum crucifixum, iterum mortuum, iterum resuscitatum: sic enim apostolos solet facere, dare illis praeterea virtutem, eadem signa edendi, quae et ipse. Volo igitur et virtutes eorum proferri: nisi quod agnosco maximam virtutem eorum, qua apostolos in perversum aemulantur. Illi

---

[1]) *Frequentiores*, quorum sectae sunt numerosiores. Alia eaque validissima utitur praescriptione ex defectu authenticae missionis petita. Ad novam enim revelationem promulgandam, cui fides debeatur, non sufficiunt verba, sed merito facta i. e. miracula postulantur, quibus auctoritas concilietur illi, qui eam annunciat. Cf. quae diximus Proem. §. 7. lit. E.

enim de mortuis vivos faciebant, isti de vivis mortuos faciunt.

31. Sed ab excessu[1]) revertar ad principalitatem veritatis, et posteritatem mendacitatis disputandam, ex illius quoque parabolae patrocinio, quae bonum semen frumenti a Domino seminatum in primore constituit, avenarum autem sterilis feni adulterium ab inimico diabolo postea superducit (Matth. 13, 24 ss.). Proprie enim doctrinarum distinctionem figurat, quia et alibi verbum Dei seminis similitudo est. Ita ex ipso ordine manifestatur, id esse dominicum et verum, quod sit prius traditum: id autem extraneum et falsum, quod sit posterius immissum. Ea sententia manebit adversus posteriores quasque haereses, quibus nulla constantia de conscientia competit[2]) ad defendendam sibi veritatem.

32. Ceterum, si quae audent interserere se aetati apostolicae, ut ideo videantur ab

---

[1]) *Excessus* i. e. excursus, digressio historica. Cf. annot. 1. ad n. praeced. *Principalitas* idem ac prioritas. Leop. *Ad principalitatem veritati et posteritatem mendacitati deputandam.*

[2]) *Quibus nulla constantia* etc. quae nulla fiducia veritatem sibi possunt adscribere, vindicare propter originis posterioris conscientiam.

apostolis traditae, quia sub apostolis fuerunt, possumus dicere: edant ergo origines ecclesiarum suarum: evolvant ordinem episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex apostolis, vel apostolicis viris, qui tamen cum apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiae apostolicae census suos deferunt: sicut smyrnaeorum ecclesia Polycarpum ab Joanne collocatum refert: sicut romanorum Clementem a Petro ordinatum itidem[1]). Perinde utique et ceterae exhibent quos ab apostolis in episcopatum constitutos apostolici seminis traduces habeant.

Confingant tale aliquid haeretici. Quid enim illis post blasphemiam illicitum est? Sed etsi confinxerint, nihil promovebunt.

---

[1]) *Ordinatum itidem.* Wouwere ms., Pamel. *ordinatum edit. Proinde* etc., Leop. *ordinatum. Itidem perinde* etc. Nostram lectionem probant Rigalt. Gourcy etc. Nova hic occurrit exceptioni, quam illae haereses possent opponere, quae apostolis fuerunt coaevae. Contra has exigit ecclesiarum apostolicam successionem doctrinaeque consonantiam cum ecclesiis vere apostolicis. *Census suos deferunt* quod supra occurrit, idem significat ac origines suos comprobant vel forte census suos i. e. seriem, successionem episcoporum suorum inde ab apostolis proferunt.

Ipsa enim doctrina eorum cum apostolica comparata, ex diversitate et contrarietate sua pronunciabit, neque apostoli alicujus auctoris esse, neque apostolici: quia sicut apostoli non diversa inter se docuissent, ita et apostolici non contraria apostolis edidissent: nisi illi qui ab apostolis desciverunt[1]) aliter praedicaverunt. Ad hanc itaque formam probabuntur ab illis ecclesiis, quae licet nullum ex apostolis vel apostolicis auctorem suum proferant, ut multo posteriores, quae denique quotidie instituuntur; tamen in eadem fide conspirantes, non minus apostolicae deputantur, pro consanguinitate doctrinae.

Ita omnes haereses ad utramque formam a nostris ecclesiis provocatae probent se quaqua putant apostolicas[2]). Sed adeo nec sunt,

---

[1]) *Desciverunt.* Rigalt. *didicerunt*, *aliter* etc. Tunc sensus est: Nisi dicere quis velit (quod tamen absurdum), illos aliter quam didicerant praedicasse. *Ad hanc formam* i. e. secundum hanc normam, regulam *probabuntur* (Semler, Gourcy, Leop. *provocabuntur*), examinabuntur haeretici ab ecclesiis illis, quae licet etc.

[2]) Ita haeretici omnes a nobis provocantur, ut alterutro modo (prout se id posse confidunt) apostolicae se esse originis probent, vel episcoporum seriem recensendo, vel ostendendo consanguinitatem doctrinae. Sed neutrum possunt; siquidem neque apostolicae

nec probare possunt quod non sunt: nec recipiuntur in pacem et communicationem ab ecclesiis quoquo modo apostolicis; scilicet, ob diversitatem sacramenti, nullo modo apostolicae.

33. Adhibeo super haec, ipsarum doctrinarum recognitionem, quae tunc sub apostolis fuerunt, ab iisdem apostolis et demonstratae et dejeratae[1]). Nam et sic facilius traducentur: dum aut jam tunc fuisse deprehenduntur, aut ex illis quae jam tunc fuerunt semina sumpsisse.

Paulus in prima ad Corinthios notat negatores et dubitatores resurrectionis (1. Cor. 15.): haec opinio propria sadducaeorum. Partem ejus usurpat Marcion et Apelles et Valentinus, et si qui alii resurrectionem carnis infringunt[2]). Et ad Galatas scribens, in-

---

sunt originis, neque ecclesiis apostolicis consentiunt aliud profitentes symbolum.

[1]) *Dejeratae* i. e. reprobatae. *Traducentur* idem ac convincentur. Jam incipit probare hoc cap. quod in praecedenti affirmavit de sacramenti seu doctrinae haereticae diversitate.

[2]) *Resurrectionem carnis infringunt.* Sadducaei hominis immortalitatem negabant secundum utramque partem, corpus et animam. Hujus erroris partem usurparunt Marcion et alii, qui carnis immortalitatem i. e. carnis resurrectionem rejiciebant.

vehitur in observatores et defensores circumcisionis et legis (Gal. 5, 2): Hebionis haeresis est. Timotheum instruens, nuptiarum quoque interdictores suggillat: ita instituunt Marcion et Apelles ejus secutor. Aeque tangit eos, qui dicerent factam jam resurrectionem (2. ep. 2, 3): id de se valentiniani asseverant. Sed et cum genealogias indeterminatas nominat (1. ep. 1, 4.), Valentinus agnoscitur, apud quem aeon ille nescio qui novi et non unius nominis, generat e sua charite sensum et veritatem: et hi aeque procreant duos, sermonem et vitam; dehinc et isti generant hominem et Ecclesiam. Estque haec prima ogdoas aeonum: exinde decem alii, et duodecim reliqui aeones miris nominibus oriuntur, in meram fabulam triginta aeonum. Idem Apostolus, cum improbat elementis servientes (Gal. 4, 3.), aliquid Hermogenis ostendit, qui materiam non natam introducens, Deo non nato eam comparat; et ita matrem elementorum deam faciens, potest ei servire, quam Deo comparat.

Joannes vero in Apocalypsi idolothyta edentes et stupra committentes jubetur castigare (2, 14.). Sunt et nunc alii nicolaitae, cajana haeresis dicitur. At in epistola eos maxime antichristos vocat, qui Christum negarent in

carne venisse, et qui non putarent Jesum esse Filium Dei (1. ep. 4, 3; 2, 22.): illud Marcion, hoc Hebion vindicavit. Simonianae autem magiae disciplina angelis serviens, utique et ipsa inter idololatrias deputabatur, et a Petro apostolo in ipso Simone damnabatur.

34. Haec sunt, ut arbitror, genera doctrinarum adulterinarum, quae sub apostolis fuisse, ab ipsis apostolis discimus: et tamen nullam invenimus institutionem, inter tot diversitates perversitatum, quae de Deo creatore universorum controversiam moverit. Nemo alterum Deum ausus est suspicari. Facilius de Filio quam de Patre haesitabatur, donec Marcion praeter creatorem alium Deum solius bonitatis induceret: Apelles creatorem angelorum nescio quem gloriosum superioris Dei[1]), faceret Deum legis et Israelis, illum igneum affirmans: Valentinus aeonas suos spargeret, et unius aeonis vitium in originem deduceret Dei creatoris.

His solis, et his primis revelata est veritas divinitatis, majorem scilicet dignationem et pleniorem gratiam a diabolo consecutis, qui

---

[1]) *Gloriosum superioris Dei*, qui scil. posset gloriari superiorem se habere Deum. Praeferenda videtur lectio Semleri, Leop. *creatorem angelum*. Cf. infra c. 51.

Deum sic quoque voluerit aemulari, ut de doctrinis venenorum, quod Dominus negavit, ipse faceret discipulos super magistrum. Eligant igitur sibi tempora universae haereses, quae quando fuerint, dummodo intersit quae quando, dum de veritate non sint[1]). Utique quae ab apostolis nominatae non fuerunt, sub apostolis fuisse non possunt. Si enim fuissent, nominarentur et ipsae, ut et ipsae coercendae: quae vero sub apostolis fuerunt, in sua nominatione damnantur. Sive ergo eaedem nunc sunt aliquanto expolitiores, quae sub apostolis rudes, habent suam exinde damnationem: sive aliae quidem fuerunt, aliae autem postea obortae, quiddam ex illis usurpaverunt[2]), habendo cum eis consortium praedicationis, habeant necesse est etiam consortium damnationis; praecedente illo fine supradicto posteritatis, quo etsi nihil de damnatitiis[3]) participarent, de aetate sola prae-

---

[1]) Eligant sibi haeretici suae originis, exordii tempora quaecunque velint (si tamen hoc eorum interest), semper enim eas de veritate non esse, falsas esse constabit.

[2]) *Quiddam ex illis usurpaverunt.* Leop. et alii: *quasdam ex illis opiniones usurpaverunt.*

[3]) *Damnatitiae* (sicut fictitiae, tralatitiae) idem ac damnatae. *Praecedente illo fine.* Sensus est:

judicarentur: tanto magis adulterae, quanto nec ab apostolis nominatae. Unde firmius constat, has esse, quae adhuc tunc nunciabantur futurae.

35. His definitionibus[1]) provocatae a nobis et revictae haereses omnes, sive quae posterae, sive quae coaetaneae apostolorum, dummodo diversae; sive generaliter; sive specialiter notatae ab eis, dummodo praedamnatae; audeant respondere et ipsae aliquas ejusmodi praescriptiones adversus nostram disciplinam. Si enim negant veritatem ejus, debent probare illam quoque haeresim esse, eadem forma revictam, qua ipsae revincuntur; et ostendere simul ubinam quaerenda sit veritas, quam apud illas non esse jam constat.

Posterior nostra res non est, imo omnibus prior est: hoc erit testimonium veritatis, ubique occupantis principatum[2]). Ab apostolis

---

Praeter damnationis participationem pro consortio praedicationis praejudicantur et reprobantur de sola aetate, vel solum propter originem recentiorem, cum praecedat illos finis i. e. ruina, exterminium propter posteritatem, de qua supra actum est.

[1]) *Definitionibus* i. e. assertionibus, principiis statutis ac comprobatis.

[2]) Principatum i. e. primum locum et quidem ratione temporis, prioritatem. Infra: *Proprietatis*, quod ipsorum haec sit propria doctrina.

utique non damnatur, imo defenditur: hoc erit indicium proprietatis. Quam enim non damnant, qui extraneam quamque damnaverunt, suam ostendunt, ideoque et defendunt.

36. Age jam qui voles curiositatem melius exercere in negotio salutis tuae, percurre ecclesias apostolicas, apud quas ipsae adhuc cathedrae apostolorum suis locis praesident; apud quas ipsae authenticae literae eorum recitantur, sonantes vocem et repraesentantes faciem uniuscujusque. Proxima est tibi Achaia? Habes Corinthum. Si non longe es a Macedonia, habes philippos, habes thessalonicenses: si potes in Asiam tendere, habes Ephesum: si autem Italiae adjaces, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas praesto est. Ista quam felix ecclesia! cui totam doctrinam apostoli cum sanguine suo profuderunt: ubi Petrus passioni dominicae adaequatur: ubi Paulus Joannis [1]) exitu coronatur: ubi apostolus Joannes posteaquam in oleum igneum demersus, nihil passus est, in insulam relegatur.

Videamus quid didicerit, quid docuerit, quid cum africanis quoque ecclesiis contesserarit. Unum Deum novit, creatorem uni-

---

[1]) *Joannis* scil. Baptistae.

versitatis, et Christum Jesum ex Virgine Maria Filium Dei creatoris, et carnis resurrectionem: Legem et prophetas cum evangelicis et apostolicis literis miscet, et inde potat fidem: eam aqua signat[1]), sancto Spiritu vestit, eucharistia pascit, martyrium exhortatur, et ita adversus hanc institutionem neminem recipit. Haec est institutio, non dico jam quae futuras haereses praenunciabat, sed de qua haereses prodierunt. Sed non fuerunt ex illa, ex quo factae sunt adversus illam. Etiam de olivae nucleo mitis et opimae et necessariae asper oleaster oritur; etiam de papavere ficus gratissimae et suavissimae ventosa et vana caprificus exsurgit. Ita et haereses de nostro fructificaverunt, non no-

[1]) *Eam aqua signat*, baptismo nimirum, qui est fidei signaculum, obsignatio. *S. Spiritu vestit*, quae pertinent ad confirmationis sacramentum. Respicit hic verba: *Sedete in civitate quoadusque induamini virtute ex alto* (Luc. 24, 29). Haec tria sacramenta iterum conjungit n. 40. et praeclarioribus verbis de resur. carnis c. 8: „Caro abluitur, ut anima emaculetur; caro ungitur, ut anima consecretur; caro signatur, ut et anima muniatur; caro manus impositione adumbratur, ut et anima Spiritu illuminetur; caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur.

strae, degeneres veritatis grano et mendacio silvestres[1]).

37. Si haec ita se habent, ut veritas nobis adjudicetur, quicunque in ea regula incedimus, quam Ecclesia ab apostolis, apostoli a Christo, Christus a Deo tradidit; constat ratio propositi nostri, definientis non esse admittendos haereticos ad ineundam de Scripturis provocationem, quos sine Scripturis probamus ad Scripturas non pertinere[2]). Si enim haeretici sunt, christiani esse non possunt, non a Christo habendo quod de sua electione sectati haereticorum nomine admittunt. Ita non

---

[1]) Leop. cum aliis: *Ita et haereses de nostro frutice, non nostro genere, veritatis grano, sed mendacio silvestres.* Sensus vero est: Haereses de veritatis grano emergunt, sed mendacio silvestres sunt; verbo, haereses veritatis sunt corruptio et depravatio; supponunt veritatem, quam tamen mendaciis suis corrumpunt.

[2]) Variis rationibus ostenderat (c. 16 ss.) haereticos ad disputationem ex Scripturis admittendos non esse, omniaque dixerat (c. 19.) pendere a quaestione, penes quos vera sit doctrina. Postquam nunc egregie demonstravit, penes catholicos eam esse, Scripturas etiam ad illos pertinere poterat jam colligere et hinc inferre, haereticos ad ineundam de Scripturis provocationem, certamen, non esse admittendos. Hoc idem nunc confirmat ex eorum nomine, de quo jam egit c. 6.

christiani, nullum jus capiunt christianarum literarum: ad quos merito dicendum est, qui estis? quando et unde venistis? quid in meo agitis, non mei? quo denique, Marcion, jure silvam meam caedis[1]? qua licentia, Valentine, fontes meos transvertis? qua potestate, Apelles, limites meos commoves? Mea est possessio[2]: quid hic ceteri ad voluntatem vestram seminatis et pascitis? Mea est possessio, olim possideo, prior possideo, habeo origines firmas ab ipsis auctoribus quorum fuit res: ego sum heres apostolorum: sicut caverunt testamento suo, sicut fidei commiserunt[3], sicut adjuraverunt, ita teneo: vos certe exheredaverunt semper et abdicaverunt, ut extraneos, ut inimicos. Unde autem extranei et inimici apostolis haeretici, nisi ex

---

[1]) *Silvam meam caedis.* Belle omnino. Nam Marcion silvam dominicam, s. Scripturam, misere caedebat rejiciendo omnes libros V. T., tria Evangelia, plures epistolas apostolicas et vel ipsum, quod se admittere jactabat, Evangelium secundum Lucam truncabat, qua de re cf. cap. seq. et c. 17.

[2]) Ita plures edit. ut Rhen. Rig. Fran. Paris. Ven. Oehl. sed Leop. Mig. etc. omittunt verba: *Mea est possessio*, sicut etiam infra verba: *prior possideo.*

[3]) *Fidei commiserunt* depositi instar. Respicit verba 1. Tim. 6, 20.

diversitate doctrinae, quam unusquisque de suo arbitrio, adversus apostolos aut protulit, aut recepit?

38. Illic igitur et Scripturarum et expositionum adulteratio deputanda: est, ubi diversitas doctrinae invenitur: Quibus fuit propositum aliter docendi, eos necessitas coegit aliter disponendi instrumenta doctrinae[1]). Alias enim non potuissent aliter docere, nisi aliter haberent per quae docerent. Sicut illis non potuisset succedere corruptela doctrinae sine corruptela instrumentorum ejus; ita et nobis integritas doctrinae non competisset sine integritate eorum, per quae doctrina tractatur. Etenim quid contrarium nobis in nostris? quid de proprio intulimus, ut aliquid contrarium ei quod esset in Scripturis deprehensum, detractione, vel adjectione, vel transmutatione remediaremus? Quod sumus, hoc sunt Scripturae ab initio suo: ex illis sumus, antequam aliter fuit; antequam a vobis interpolarentur[2]).

---

[1]) *Instrumenta doctrinae* i. e. s. Scripturae. Hae enim sunt instrumenta scripta, quibus fidei dogmata probantur. Quae hic dicit, consectarium sunt eorum, quae statuerat c. 19.

[2]) *Antequam a vobis interpolarentur.* Leop. *Antequam nobis interpolarentur. Quod sumus* scil.

Cum autem omnis interpolatio posterior credenda sit, veniens utique ex causa aemulationis, quae neque prior, neque domestica unquam est ejus, quod aemulatur[1]); tam incredibile est sapienti cuique, ut nos adulterum stilum intulisse videamur Scripturis, qui sumus a principio et primi, quam illos non intulisse qui sunt et posteri et adversi. Alius manu Scripturas, alius sensus expositione intervertit. Neque enim si Valentinus integro instrumento uti videtur, non callidiore[2]) ingenio, quam Marcion manus intulit veritati. Marcion enim exserte et palam machaera, non stilo usus est, quoniam ad materiam suam caedem Scripturarum confecit. Valentinus autem pepercit, quoniam non ad materiam Scripturas, sed materiam ad Scripturas excogitavit: et tamen plus abstulit et plus adjecit, auferens proprietates singulorum quoque verborum, et adjiciens dispositiones non comparentium rerum.

39. Haec sunt ingenia[3]) de spiritalibus ne-

---

ratione doctrinae, quod credimus, hoc sunt, continent et praeseferunt Scripturae ab initio suo.

[1]) *Quod aemulatur.* Omnis interpolationis et corruptionis causa studium est contentionis, et est posterior et inimicum ei, quod impugnatur.

[2]) *Non callidiore* i. n. minus callido.

[3]) *Haec sunt ingenia*, viri magni et celebres, de

quitiae, cum quibus luctatio est nobis, fratres (Eph. 6, 12), merito contemplanda, fidei necessaria, ut electi manifestentur, ut reprobi detegantur. Et ideo habent vim, et in excogitandis instruendisque erroribus facilitatem, non adeo mirandam, quasi difficilem et inexplicabilem, cum de secularibus quoque scripturis exemplum praesto sit ejusmodi facilitatis. Vides hodie ex Virgilio fabulam in totum aliam [1]) componi, materia secundum versus, versibus secundum materiam concinnatis: denique Hosidius Geta Medeam tragoediam ex Virgilio plenissime exsuxit: meus quidam propinquus ex eodem poeta inter cetera stili sui otia Pinacem Cebetis explicuit. Homerocentones etiam vocari solent, qui de carminibus Homeri propria opera more centonario ex multis hinc inde compositis in unum sarciunt corpus. Et utique fecundior divina literatura ad facultatem

---

quibus locutus erat c. 3, quorum lapsum Deus permittit ad probandos vere fideles, quo sensu ea dicit *fidei necessaria, merito contemplanda*, non negligenda sed attente consideranda, ut ab iis caveamus; quae et ideo habent seu permittuntur habere vim atque in excogitandis suadendisque erroribus felicitatem etc.

[1]) *In totum aliam* (phrasis graecitatem redolens), omnino aliam. Similia habet Irenaeus l. 1. c. 9.

cujusque materiae[1]). Nec periclitor dicere, ipsas quoque Srcipturas sic esse ex Dei voluntate dispositas, ut haereticis materias subministrarent; cum legam, oportere haereses esse, quae sine Scripturis esse non possunt.

40. Sed quaeritur a quo intellectus intervertatur[2]) eorum, quae ad haereses faciant? A diabolo scilicet, cujus sunt partes intervertendi veritatem, qui ipsas quoque res sacramentorum divinorum idolorum mysteriis aemulatur. Tingit[3]) et ipse quosdam, utique

---

[1]) *Cujusque materiae.* Plus materiae ad ejusmodi ingenii exercitia praebent, Deo non disponente sed permittente, literae divinae utpote fecundissimae et altissimae. Alii: *cujuscunque.*

[2]) *Intervertatur* i. e. pervertatur *eorum* in divinis literis, quae haereses juvare, fulcire videntur. *A diabolo, cujus sunt partes*, cujus munus proprium est.

[3]) *Tingit* i. e. baptizat. Cf. de bapt. c. 5. (Opusc. t. 7. p. 152). *Expositionem*, depositionem, hinc remissionem. Quae dein sequuntur aliter apud alios invenies. Leop. *Et si adhuc memini Mithrae, signat* etc. Migne: *Et si adhuc memini, Mithra signat* etc. Alii: *Et si adhuc initiat Mithrae, signat* etc. *Signat illic* in castris tenebrarum. Respicit vel signum crucis, vel inunctionem, quae sequebatur baptismum, de qua dicit (de resur. carn. c. 8. Cf. supra annot. 2. ad. n. 36): „Caro ungitur, ut anima consecretur“ (Cf. etiam de bapt. n. 7. Opusc. t. 7. 159), vel probabilius confirmationis sacramentum, de

credentes et fideles suos: expositionem delictorum de lavacro repromittit; et sic adhuc initiat Mithrae. Signat illic in frontibus milites suos: celebrat et panis oblationem, et imaginem resurrectionis inducit, et sub gladio redimit coronam[1]). Quid? quod et summum pontificem in unius nuptiis statuit[2])? Habet et virgines, habet et continentes. Ceterum si Numae Pompilii superstitiones revolvamus, si sacerdotalia officia, insignia et privilegia, si sacrificalia ministeria, et instrumenta et vasa ipsorum sacrificiorum, ac pia-

---

quo ita scribit de resur. carnis c. 8: „Caro signatur, ut et anima muniatur.“ Facit dein et eucharistiae mentionem.

[1]) *Sub gladio redimit coronam.* Hunc ritum ita describit (de corona c. 15): Mithrae miles „cum initiatur in spelaeo, in castris vere tenebrarum, coronam interposito gladio sibi oblatam, quasi mimum martyrii, dehinc capiti suo accomodatam, monetur obvia manu a capite pellere, et in humerum, si forte, transferre, dicens Mi hram esse eoronam suam, atque exinde nunquam coronatur, idque in signum habet ad probationem sui, sicubi tentatus fuerit de sacramento statimque creditur Mithrae miles, si dejecerit coronam, si eam in Deo suo esse dixerit.“

[2]) *In unius nuptiis statuit.* Forte legendum est: *in unis* vel *unicis* nuptiis. Passim tradit Tertullianus summum pontificem penes romanos monogamum esse debuisse.

culorum et votorum curiositates consideremus; nonne manifeste diabolus morositatem[1]) illam judaicae legis imitatus est? Qui ergo ipsas res, de quibus sacramenta Christi administrantur, tam aemulanter affectavit exprimere in negotiis idololatriae; utique et idem et eodem ingenio gestiit, et potuit instrumenta quoque divinarum rerum et sanctorum christianorum, sensum de sensibus, verba de verbis, parabolas de parabolis, profanae et aemulae fidei attemperare. Et ideo, neque a diabolo immissa esse spiritalia nequitiae, ex quibus etiam haereses veniunt, dubitare quis debet, neque ab idololatria distare haereses; cum et auctoris et operis ejusdem sint, cujus et idololatria. Deum aut fingunt alium adversus creatorem; aut si unicum creatorem confitentur, aliter eum disserunt, quam in vero est. Itaque omne mendacium, quod de Deo dicunt, quodammodo genus est idololatriae.

41. Non omittam ipsius etiam conversationis haereticae descriptionem, quam futilis, quam terrena, quam humana sit; sine

---

[1]) *Morositatem* i. e. morum et rituum judaicorum scrupulositatem seu praecepta, quibus omnia et singula exacte et minutatim praescribebantur.

gravitate, sine auctoritate, sine disciplina, ut fidei suae congruens. In primis quis catechumenus, quis fidelis, incertum est: pariter adeunt, pariter audiunt, pariter orant: etiam ethnici si supervenerint, sanctum canibus et porcis margaritas, licet non veras, jactabunt[1]. Simplicitatem volunt esse prostrationem disciplinae, cujus penes nos curam lenocinium[2] vocant: pacem quoque passim cum omnibus miscent. Nihil enim interest illis, licet diversa tractantibus, dum ad unius veritatis expugnationem conspirent. Omnes tument, omnes scientiam pollicentur. Ante sunt perfecti catechumeni[3], quam edocti. Ipsae mulieres haereticae, quam procaces; Quae au-

---

[1]) Haereticis hic neglectum exprobrat disciplinae arcani. Nam citra ullum discrimen pariter adibant catechumeni et fideles coetus, synaxes sacras penes haereticos etc., nec sacra mysteria profanorum i. e ethnicorum oculis subtrahebantur, quod in primitiva Ecclesia proditionis instar habebatur.

[2]) *Lenocinium* i. e. affectationem. *Pacem cum omnibus miscent.* Crimini haereticis vertit, quod passim et temere cum omnibus inirent pacem et communionem, nulla ratione horum doctrinae habita, dummodo in veritatis expugnationem conspirarent. Vix melius nostrorum temporum inimici Ecclesiae catholicae potuissent depingi.

[3]) *Ante sunt perfecti catechumeni.* Catechumeni ante sunt perfecti magistri, quam fuerint discipuli.

deant docere, contendere, exorcismos agere, curationes repromittere, forsitan et tingere.

Ordinationes eorum temerariae, leves, inconstantes: nunc neophytos collocant[1]), nunc seculo obstrictos, nunc apostatas nostros, ut gloria eos obligent, quia veritate non possunt. Nusquam facilius proficitur, quam in castris rebellium, ubi ipsum esse illic, promereri est. Itaque alius hodie episcopus, cras alius; hodie diaconus, qui cras lector; hodie presbyter, qui cras laicus: nam et laicis sacerdotalia munera injungunt.

42. De verbi autem administratione quid dicam; cum hoc sit negotium illis, non ethnicos convertendi, sed nostros evertendi? Hanc magis gloriam captant, si stantibus ruinam, non si jacentibus elevationem operentur: quoniam et ipsum opus eorum non de suo proprio aedificio venit, sed de veritatis destructione. Nostra suffodiunt, ut sua aedificent. Adime illis Legem Moysi et prophetas, et creatorem Deum, accusationem eloqui non habent[2]). Ita fit ut ruinas fa-

---

[1]) *Neophytos collocant*, promovent ad ordinem, muns sacrum contra preceptum Appostoli: *Non neophytum* (1. Tim. 3, 6). *Seculo obstricti* sunt qui publico funguntur munere.

[2]) *Eloqui non habent.* Nostra suffodiunt, im-

cilius operentur stantium aedificiorum, quam exstructiones jacentium ruinarum. Ad haec solummodo opera humiles, et blandi, et submissi agunt[1]). Ceterum, nec suis praesidibus reverentiam noverunt. Et hoc est quod schismata apud haereticos fere non sunt; quia cum sint, non parent: schisma est unitas ipsis[2]). Mentior si non etiam a regulis suis variant inter se, dum unusquisque proinde suo arbitrio modulatur quae accepit, quemadmodum de suo arbitrio ea composuit ille qui tradidit. Agnoscit naturam suam, et originis suae morem, profectus rei. Idem licuit valentinianis quod Valentino, idem marcionitis quod Marcioni, de arbitrio suo fidem innovare. Denque penitus inspectae haereses omnes in multis cum auctoribus suis

---

pugnant, ut sua aedificent: proinde si quae impugnare solent ademeris, ut legem Moysi, prophetas nostros, Deum creatorem etc. nihil quod doceant, statuant, habent, obturata sunt eorum ora.

1) *Submissi agunt.* Ejusmodi opera ut sunt jacentes erigere, ethnicos convertere etc. ii tantum perficere possunt, qui sunt humiles, blandi, submissi.

2) *Schisma est unitas ipsis.* In ipsa discordia tum a nobis tum inter se conveniunt: hinc cum ipsis innatus et velut ingenitus sit hic dissidendi animus studiumque novandarum rerum, eorum schismata mira non accidunt, non incurrunt in oculos.

dissentientes deprehenduntur. Plerique nec ecclesias habent, sine matre, sine sede, orbi, fide extorres, sine lare vagantur.

43. Notata[1]) sunt etiam commercia haereticorum cum magis quampluribus, cum circulatoribus, cum astrologis, cum philosophis, curiositati scilicet deditis. *Quaerite et invenietis*, ubique meminerunt. Adeo et de genere conversationis qualitas fidei aestimari potest: doctrinae index disciplina est. Negant Deum timendum: itaque libera sunt illis omnia et soluta. Ubi autem Deus non timetur, nisi ubi non est? Ubi Deus non est, nec veritas ulla est. Ubi veritas nulla est, merito et talis disciplina est. At ubi Deus, ibi metus in Deum, qui est initium sapientiae: ubi metus in Deum, ibi gravitas honesta, et diligentia attonita, et cura sollicita, et allectio explorata, et communicatio deliberata, et promotio emerita, et subjectio religiosa, et apparitio devota, et processio modesta, et Ecclesia unita, et Dei omnia[2]).

---

[1]) *Notata.* Legendum forte *nota* vel *notanda.*

[2]) *Et Dei omnia.* Ubi Deus et vera doctrina, ibi disciplina plane alia, contraria quam apud haereticos (quorum disciplinam descripserat n. 41). Ibi est *diligentia attonita*, quae semper est in metu ne peccet . . . *allectio explorata*, eligendorum in coetum

44. Proinde haec pressioris apud nos testimonia disciplinae[1]) ad probationem veritatis accedunt: a qua divertere nemini expedit, qui meminerit futuri judicii, quo omnes nos necesse est apud Christi tribunal astare, reddentes rationem, in primis ipsius fidei.

Quid ergo dicent qui illam stupraverint adulterio haeretico, virginem traditam a Christo? Credo allegabunt, nihil unquam sibi ab illo[2]) vel ab apostolis ejus, de seris et perversis doctrinis futuris praenunciatum, et de cavendis abominandisque praeceptum. Agnoscant suam potius culpam quam illorum, qui nos tanto ante praestruxerunt. Adjicient

---

ecclesiasticum diligens examen et *communicatio deliberata*, neque enim sicut haeretici, ita catholici cum omnibus temere et passim communicant, et *promotio emerita*, ad ordinem scil. ecclesiasticum nonnisi post merita probata quis ascendit; et *apparitio devota et processio modesta*, mores omnes honesti, omnisque ratio se gerendi devota.

[1]) *Pressior*, strictior, magis severa; *testimonia* argumenta, indicia. Ceterum quae hic strictim attingit Tertullianus, uberius prosequitur s. Augustinus in praeclaro opere de moribus Ecclesiae catholicae et de moribus manichaeorum, cujus priorem librum in hac collectione forte edemus.

[2]) *Ab illo*, a Christo. Duplicem hic refellit exceptionem, qua forte uti possent haeretici, ac egregia illi occurit ironia.

praetera multa de auctoritate cujusque doctoris haeretici, illos maxime doctrinae suae fidem confirmasse, mortuos suscitasse, debiles reformasse. futura significasse, uti merito apostoli crederentur. Quasi nec hoc scriptum sit, venturos multos, qui etiam virtutes maximas ederent, ad fallaciam muniendam corruptae praedicationis [1]).

Itaque veniam merebuntur. Qui vero memores dominicarum et apostolicarum denunciationum in fide integri steterint, credo de venia periclitabuntur, respondente Domino: Praenunciaveram plane futuros fallaciae magistros in meo nomine, et prophetarum et apostolorum etiam; et discentibus meis eadem ad vos praedicare mandaveram; semel Evangelium et ejusdem regulae doctrinam apostolis meis delegaveram: sed quum vos non

---

[1]) Respicit hic similia testimonia: *Tunc si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus aut illic, nolite credere. Surgent enim pseudochristi et pseudoprophetae: et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi. Ecce praedixi vobis* (Matth. 24, 23—25); cf. v. 4, 5; 7, 15; Act. 20, 29; 2. Cor. 11, 13: *Nam ejusmodi pseudoapostoli sunt, operarii subdoli, transfigurantes se in apostolos Christi.* 1. Tim. 41—3; 2. Tim. 4, 3, 4; 2. Potri 3, 2, 3; Ind. 17—19 etc.

crederetis, libuit mihi postea aliqua inde mutare: resurrectionem promiseram, etiam carnis; sed recogitavi ne implere non possem: natum me ostenderam ex virgine; sed postea turpe mihi visum est: patrem dixeram, qui solem et pluvias fecit; sed alius me pater melior adoptavit: prohibueram vos aurem accommodare haereticis, sed erravi. Talia capit[1]) opinari eos qui exorbitant, et fidei veritatis periculum non cavent.

45. Sed nunc quidem generaliter actum est a nobis adversus haereses omnes, certis, et justis, et necessariis[2]) praescriptionibus repellendas a collatione Scripturarum. De reliquo, si Dei gratia annuerit, etiam specialiter quibusdam respondebimus[3]). Haec in

---

[1]) *Capit* idem significat ac contingit (imperson.); *exorbitant* sicut n. 4. idem ac aberrant, deviant.

[2]) *Necessariis.* Necessarias prascriptiones dicit, quia secundum eas necesse est judici quoscunque agere volentes repellere. Rigalt.

[3]) *Quibusdam respondebimus.* Id revera praestitit, singulas quasdem haereses editis libris sedulo impugnavit, ut Marcionem, valentinianos, Praxeam, Hermogenem etc. Ultima verba: *Haec in fide veritatis ci . . .* (Oehler supplet· *cum otio*, et Fessler: *Christi*) etc. Leopold a librario adjecta censet. De subjecto haeresum catalogo cf. quae in praefatione §. 6. diximus.

fide veritatis ci . . . legentibus pax et gratia Domini nostri Jesu-Christi in aeternum.

Contra Haereticos explicit.

Quorum haereticorum, ut plura praeteream, pauca perstringam. Taceo enim judaismi haereticos: Dositheum, inquam, samaritanum, qui primus ausus est prophetas, quasi non in Spiritu sancto locutos, repudiare. Taceo sadducaeos, qui ex hujus erroris radice surgentes, ausi sunt ad hanc haeresim etiam resurrectionem carnis negare. Praetermitto pharisaeos, qui additamenta quaedam legi astruendo a judaeis divisi sunt; unde etiam hoc accipere ipsum quod habent nomen digni fuerunt: cum his etiam herodianos, qui Christum Herodem esse dixerunt.

46. Ad eos me converto, qui ex Evangelio haeretici esse voluerunt: ex quibus est primus omnium Simon magus, qui in Actis apostolorum condignam meruit ab apostolo Petro justamque sententiam (Act. 8.). Hic ausus est summam se dicere virtutem, id est, summum Deum: mundum autem ab angelis suis institutum: a daemone se oberrante[1]),

[1]) *A. daemone se oberrante* etc. Ad h. l. annotat Rigaltius: „Haec sunt corruptissima, nec juvant manuscripti. Legendum tamen videtur. *Ad oves aberrantes se, qui esset sapientia, descendisse quaerendum. Apud judaeos se, in phantasmate* etc.

quid esset sapientia, descendisse quaerendum apud judaeos: se in phantasmate Dei non passum, sed esse quasi passum. Post hunc Menander discipulus ipsius, similiter magus, eadem dicens quae Simon ipse: quidquid se Simon dixerat, hoc se Menander esse dicebat, negans habere posse quemquam salutem, nisi in nomine suo baptizatus fuisset. Secutus est post haec et Saturninus, et hic similiter dicens: innascibilem virtutem, id est Deum, in summis et illis infinitis partibus et in superioribus manere; longe autem distantes ab hoc angelos inferiorem mundum fecisse: et quia splendor quidam luminis desursum in inferioribus refulsisset, ad similitudinem[1]) illius luminis angelos hominem instituere (angelos) curasse; hunc super terram jacuisse reptantem; cujus lumen illud et virtutem misericordiam[2]), scintillam

---

Hieronymus indiculo haeres: „Ideoque se descendisse, inquit, ut ovem salvaret perditam. Christum apud judaeos non esse passum." Cf. Ephiphanium haer. 20.

[1]) Sequimur hanc lectionem, quam adoptarunt Semler, Leop. quamvis aliae editiones habeant: *Ad similitudinem illam superiorem propter illius luminis angelos hominem instituere, angelos curasse*, quae sat implexa est.

[2]) Haec verba obscura, substituta alia lectione, clariora reddere Junius conatur. Sic enim habet:

salvam esse, cetera hominis perire: Christum in substantia corporis non fuisse, et phantasmate tantum quasi passum fuisse: resurrectionem carnis nullo modo futuram esse. Postea Basilides haereticus erupit: hic esse dicit summum Deum nomine Abraxan, ex quo mentem creatam, quam graece νοῦν appellat: inde verbum: ex illo providentiam; ex providentia virtutem et sapientiam: ex ipsis inde principatus et potestates et angelos factos, deinde infinitas angelorum editiones et probolas: ab istis angelis trecentos sexaginta

---

Cui lumen illud et virtutem illam superiorem propter misericordiam vitae scintillam immisisse; hanc scintillam salvam esse, ceterum hominis perire. Errorem hunc ita exponit Epiphanius haer 23. n. 1: „Ceterum edito in lucem homine, angelos ait prae imbecillitate sua perficere opus suum minime quivisse, proinde in solo jacentem ac subsultantem reptantis instar vermiculi neque erigere se, neque aliud quidquam agere potuisse, donec virtus illa coelestis hoc prospiciens atque ob imaginem suam atque effigiem hominis miserta, vis suae scintillam immisit, qua et illum erexit et vitam impertiit. Nimirum per scintillam istam humanam animam intelligunt. Atque ideo servari, ait, omnino scintillam hanc oportet. perire vero quidquid hominis proprium est: quod tum accidit, cum id, quod e coelo delapsum est definito temporis intervallo sursum evolat; similiterque quod infimum est eo unde prodierat, regreditur.“

quinque coelos institutos; et mundum in honore Abraxae, cujus nomen hunc in se habebat numerum computatum. In ultimis quidem angelis, et qui nunc fecerunt mundum, novissimum ponit judaeorum Deum, id est, Deum legis et prophetarum: quem Deum negat, sed angelum dicit. Huic sortito obtigisse semen Abrahae, atque ideo hunc de terra Aegypti filios Israel in terram Chanaam transtulisse. Hunc turbulentiorem prae ceteris angelis, atque ideo et seditiones frequenter et bella concutere, sed et humanum sanguinem fundere. Christum autem, non ab hoc qui fecerit mundum, sed ab illo Abraxa missum venisse in phantasmate; sine substantia carnis fuisse: hunc passum a judaeis non esse, sed vice ipsius Simonem[1]) crucifixum esse: unde nec in eum credendum esse, qui sit crucifixus, ne quis confiteatur in Simonem credidisse. Martyria negat esse facienda. Carnis resurrectionem graviter impugnat, negans salutem corporibus repromissam. Alter haereticus Nicolaius[2]) emersit: hic de

---

[1]) *Simonem* i. e. Cyrenaeum, *quem angariaverunt* judaei *ut tolleret crucem* Christi (Matth. 27, 32). Plura de hac fabula cf. apud Epiphanium haer. 24. n. 8.

[2]) Quamvis plures alii patres confirment quod

septem diaconis, qui in Actis apostolorum allecti sunt, fuit. Hic dicit tenebras in concupiscentia luminis, et quidem foeda et obscena, fuisse: ex hac permixtione pudor est dicere quae fetida et immunda sunt. Aeones enim refert quosdam turpitudinis natos, et complexus et permixtiones exsecrabiles, obscenasque conjunctas[1]), et quaedam ex ipsis adhuc turpiora: natos praeterea daemones, et deos, et spiritus septem, et alia satis sacrilega pariter et foeda, quae referre erubescimus, et jam praeterimus. Satis est nobis quod totam istam haeresim nicolaitarum Apocalypsis Domini gravissima sententiae auctoritate damnavit, dicendo: *Quia hoc tenes, odisti doctrinam nicolaitarum, quam et ego odi* (Apoc. 2, 6).

47. Accesserunt his haeretici etiam illi, qui ophitae nuncupantur. Nam serpentem magnificant in tantum, ut illum etiam ipsi Christo praeferant. Ipse enim, inquiunt, scientiae nobis boni et mali originem dedit. Hujus animadvertens potentiam et majestatem Moyses, inquiunt, aeream posuit serpentem:

auctor hic asserit, Nicolaum, qui unus fuit e septem primis diaconis, hujus sectae exstitisse caput, non desunt tamen qui de hoc dubitent.

1) *Conjunctas* i. e. conjunctiones, copulas.

et quicunque ipsum aspexerunt, sanitatem consecuti sunt. Ipse, ajunt praeterea, Christus in Evangelio suo imitatur serpentis ipsius sacram potestatem, dicendo: *Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium homis* (Joan. 3, 14): Ipsum introducunt ad benedicenda eucharistia sua[1]). Sed tota istius erroris et scena et doctrina inde fluxit: dicunt enim de illo summo primario aeone complures alios aeones exstitisse inferiores; omnibus tamen istis aeonem antistare, cujus sit nomen Jaldabaoth. Hunc autem conceptum esse ex altero aeone aeoni-

[1]) Ita hunc ritum describit Epiphanius haer. 38. n. 5: „Verum serpentem in cista nutriunt, quem mysteriorum tempore stipatis ad ejus cavernam in mensa panibus invitant. Isque aperto foramine e latebris erumpit. Atque ubi pro sua calliditate stoliditatem illorum agnovit, mensam conscendens circum panes implicatur. Hanc absolutissimum esse sacrificium censent. Unde a quodam accepi, non modo panes istos, quibus circumvolutus est serpens, frangunt ac distribuunt, sed etiam quilibet admoto ore serpentem exosculatur, sive cantionibus quibusdam ad mansuetudinem bestia mollitur, sive alio daemonis artificio innocua redditur. Hanc quidem adorant miseri, et eucharistiam vocant, cum appositos panes tortuosis flexibus ac circumvolutionibus ambierit. Ac demum supremum parentem per illum, ut ajunt, celebrantes mysteria sua perficiunt."

bus inferioribus permixto; seque postea cum in superiora voluisset eniti, gravitate materiae permixta sibi, non potuisse ad superiora pervenire, in medietate relictum, extendisse totum, effecisse sic coelum: Jaldabaot tamen inferius descendisse, et fecisse sibi filios septem: quem occlusisse superiora dilatatione; ut quia angeli quae superiora essent scire non possent, ipsum solum Deum putarent. Virtutes igitur illas et angelos inferiores hominem fecisse; et quia ab infirmioribus et mediocribus virtutibus institutus esset, quasi vermem jacuisse reptantem: illum vero aeonem, ex quo Jaldabaoth processisset, invidia commotum, scintillam quandam jacenti homini immisisse, qua excitatus per prudentiam saperet, et intelligere posset superiora. Sic rursum Jaldabaoth istum in indignationem conversum ex semetipso edidisse virtutem et similitudinem serpentis; et hanc fuisse virtutem in paradiso, id est, istum fuisse serpentem, cui Eva quasi filio Dei crediderat. Decerpsit, inquiunt, de fructu arboris, atque ideo generi humano scientiam bonorum et malorum contribuit. Christum autem non in substantia carnis fuisse: salutem carnis sperandam omnino non esse. Necnon etiam erupit alia quoque haeresis,

quae dicitur cainaeorum. Et ipsi enim magnificant Cain, quasi ex quadam potenti virtute conceptum, quae operata sit in ipso: nam Abel ex inferiore virtute conceptum, procreatum. et ideo inferiorem repertum[1]). Hi qui hoc asserunt, etiam Judam proditorem defendunt, admirabilem illum et magnum esse memorantes propter utilitates, quas humano generi contulisse jactatur. Quidam enim ipsorum gratiarum actionem Judae propter hanc causam reddendam putant. Animadvertens enim, inquiunt, Judas, quod Christus vellet veritatem subvertere, tradidit illum, ne subverti veritas posset. Et alii sic contra disputant et dicunt: Quia potestates hujus mundi nolebant pati Christum, ne humano generi per mortem ipsius salus pararetur, saluti consulens generis humani, tradidit Christum, ut salus, quae impediebatur per virtutes, quae obsistebant ne pateretur Christus, impediri omnino non posset, et ideo per passionem Christi non posset salus humani generis retardari. Sed et illa haeresis pocessit, quae dicitur sethoitarum. Hujus perversitatis doctrina haec est: Duos homines

---

[2]) *Inferiorem repertum* i. e. superatum et hinc occisum.

ab angelis constitusos, Cain et Abel; propter hos magnas inter angelos contentiones et discordias exstitisse, ob hanc causam illam virtutem, quae super omnes virtutes esset, quam matrem pronunciant, dum Abel interfectum dicerent, voluisse concipi et nasci hunc Seth loco Abelis, ut evacuarentur angeli illi, qui duos priores illos homines condidissent, dum hoc semen mundum moritur et nascitur. Permixtiones enim dicunt angelorum et hominum iniquas fuisse: ob quam causam illam virtutem quam, sicut diximus, pronunciant matrem, ad vindictam etiam cataclysmum inducere, ut et illud permixtionis semen tolleretur, et hoc solum semen quod esset purum, integrum custodiretur: sed enim illos, qui seminis illos prioris instituisent, occulte et latenter, et ignorante illa matre virtute, cum illis octo animabus in arcam misisse etiam semen Cham, quo semen malitiae non periret, sed cum ceteris conservatum, et post cataclysmum terris redditum, exemplo ceterorum excresceret et effunderetur, et totum orbem et impleret et occuparet. De Christo autem sic sentiunt, ut dicant illum tantummodo Seth, et pro ipso Seth ipsum fuisse.

48. Carpocrates praeterea hanc tulit se-

ctam. Unam esse dicit virtutem in superioribus principalem; ex hac prolatos angelos, atque virtutes: quos distantes longe a superioribus virtutibus mundum istum in inferioribus partibus condidisse: Christum non ex virgine Maria natum, sed ex semine Joseph, hominem tantummodo genitum, sane prae ceteris justitiae cultu, vitae integritate meliorem: hunc apud judaeos passum: solam animam ipsius coelo receptam, eo quod et firmior et robustior ceteris fuerit: ex quo colligeret, tentata animarum sola salute, nullas corporis resurrectiones. Post hunc Cerinthus haereticus erupit, similia docens. Nam et ipse mundum institutum esse ab illis dicit: Christum ex semine Joseph natum proponit, hominem illum tantummodo sine divinitate contendens, ipsam quoque legem ab angelis datam perhibens: judaeorum Deum non Dominum, sed angelum promens. Hujus successor Hebion fuit, Cerintho non in omni parte consentiens, quod a Deo dicat mundum, non ab angelis factum; et quia scriptum sit: *Nemo discipulus super magistrum, nec servus super dominum* (Matth. 10, 24.); legem etiam proponit[1]), scilicet ad

[1]) *Proponit* i. e. servandam, quia Christus magister eam servavit.

excludendum Evangelium, et vindicandum judaismum.

49. Valentinus autem haereticus multas introducit fabulas: has ego circumducens breviter expediam. Introducit enim pleroma et aeonas triginta: exponit autem hos per syzygias, id est, conjugationes quasdam. Nam dicit in primis esse bythον et silentium; ex his processisse semen, mentem et veritatem; ex quibus erupisse verbum et vitam; de quibus rursum creatum hominem et ecclesiam: sed enim ex his quoque processisse duodecim aeonas; de sermone autem et vita, aeonas alios decem. Hanc esse aeonum triacontada, quae sit in pleromate ex ogdoade et decade ac dyodecade. Tricesimum autem aeonem, bython illum videre voluisse, et ad videndum illum ausum esse in superiora pleromatis conscendere; et quoniam ad magnitudinem ipsius videndam capax non fuit, in defectione fuisse, et pene dissolutum esse, nisi quia missus ad constabiliendum illum ille, quem appellant Horon, confirmasset illum dicto Iao. Hoc pronunciat Apelles Jo.[1]). Istum

---

[1]) *Hoc pronunciat Apelles Jo.* Alii legunt: *Hoc pronunciatio appellat*, sed tunc sententia est plane obscura vel mutila. Ceterum de his nugis cf. Irenaeum l. 1. c. 1 ss. et Epiphanium haer. 31.

autem aeonem in defectionem factum Achamoth dicit in passionibus desiderii quibusdam fuisse, et ex passionibus materias edidisse. Expavit enim, inquit, et extimuit, et contristata est, et ex his passionibus concepit et edidit. Hinc fecit coelum et terram et mare, et omnia quaecunque sunt in eis, ob quam causam omnia infirma esse et fragilia et caduca et mortalia, quaecunque sunt ab ipso facta; quoniam quidem ipse fuerit de aporiatione[1]) conceptus atque prolatus: hunc tamen instituisse istum mundum ex his materiis, quas Achamoth vel pavendo, vel timendo, vel contristando, vel sudando praestiterat. Nam ex pavore, inquit, tenebrae factae sunt; ex timore et ignorantia, spiritus nequitiae et malignitatis; ex tristitia et lacrymis, humida fontium, fluminum materia marisque. Christum autem missum ab illo propatore, qui est Bythos. Hunc autem in substantia corporis nostri non fuisse, sed spiritale nescio quod corpus de coelo deferentem, quasi aquam per fistulam, sic per Mariam virginem transmeasse, nihil inde vel accipientem vel mutuantem. Resurrectionem

---

[1]) *De aporiatione* i. e. de metu, confusione, haesitatione.

hujus carnis negat, sed ergo alterius. Legis et prophetarum quaedam probat, quaedam improbat: id est, omnia improbat, dum quaedam reprobat. Evangelium habet etiam suum, praeter haec nostra. Post hunc exstiterunt Ptolomaeus et Secundus haeretici, qui cum Valentino per omnia consentiunt. In illo solo differunt: nam cum Valentinus aeonas tantum triginta finxisset, isti addiderunt alios complures; quatuor enim primum, deinde alios quatuor aggregaverunt. Et quod dicit Valentinus aeonem trigesimum excessisse de pleromate ut in defectionem, negant isti; non enim ex illa triacontade fuisse hunc, qui fuerit in defectionem propter desiderium videndi propatoris. Exstitit praeterea Heracleon alter haereticus, qui cum Valentino paria sentit, sed novitate quadam pronunciationis vult videri alia sentire. Introducit enim in primis illud fuisse, quod pronunciat[1]), et deinde ex illa monade duo, ac deinde reliquos aeonas; deinde introducit totum Valentinum.

50. Non defuerunt post hos Marcus quidam et Colarbasus novam haeresin ex graecorum alphabeto componentes. Negant enim

---

[1]) Hic aliquid deesse videtur Rigaltio.

veritatem sine istis posse literis inveniri; imo totam plenitudinem et perfectionem veritatis in istis literis esse dispositam: propter hanc enim causam Christum dixisse: Ego sum *A* et *Ω*. Denique Jesum Christum descendisse, id est, columbam in Jesum venisse, quae graeco nomine cum *περιςερὰ* pronuncietur, habeat secundum numerum DCCCI. Percurrunt isti *ω*, *ψ*, *φ*, *υ*, *τ*, totum usque ad alpha beta, et computant ogdoadas et decadas, ita ut afferre illorum omnes vanitates ineptum sit et otiosum, quod tamen non tantum jam vanum, sed etiam periculosum sit. Alterum deum fingunt praeter Creatorem. Christum in substantia negant carnis fuisse: negant carnis resurrectionem futuram.

51. Accedit his Cerdon quidam: hic introducit initia duo, id est duos deos, unum bonum, et alterum saevum; bonum superiorem; saevum hunc mundi creatorem. Hic prophetias et legem repudiat, Deo creatori renunciat: superioris Dei Filium Christum venisse tractat, hunc in substantia carnis negat, in phantasmate solo fuisse pronunciat; nec omnino passum, sed quasi passum; nec ex virgine natum, sed omnino nec natum: resurrectionem animae tantummodo probat, corporis negat: solum Evangelium Lucae, nec tamen totum

recipit: apostoli Pauli neque omnes neque totas epistolas sumit. Acta apostolorum et Apocalysin quasi falsa rejicit. Post hunc discipulus ipsius emersit Marcion quidam nomine, ponticus genere, episcopi filius, propter stuprum cujusdam virginis ab Ecclesiae communicatione abjectus. Hic ex occasione, qua dictum sit: *Omnis arbor bona bonos fructus facit; mala autem malos* (Matth. 7, 17), haeresim Cerdonis approbare conatus est, eadem dicere quae ille superior haereticus ante dixerat. Exstitit post hunc Lucanus quidam nomine, Marcionis sectator atque discipulus: et hic per eadem vadens blasphemiae genera, eadem docet, quae Marcion et Cerdon docuerant. Post hos subsequitur Apelles, dicipulus Marcionis, qui posteaquam in carnem suam lapsus est, a Marcione segregatus est: hic introducit unum Deum infinitis superioribus partibus: hunc potestates multas angelosque fecisse; propterea et aliam virtutem quam dicit, Dominum dicit, sed angelum ponit. Hoc[1]) vult videri mundum institutum

[1]) *Hoc.* Junius legendum censet: *Hinc* vel *ab hoc*; Semler: *huic.* Ceterum cf. de Apelle supra n. 30, 33, 34. et plura apud Epiphanium haer. 44.

ad imitationem mundi superioris, cui mundo permiscuisse poenitentiam; quia non illum tam perfecte fecisset, quam ille superior mundus institutus fuisset. Legem et prophetas repudiat. Christum neque in phantasmate dicit fuisse, sicut Marcion, neque in substantia veri corporis, ut Evangelium docet; sed eo quod e superioribus partibus descenderet, ipso descensu sideream sibi carnem et aëream contexuisse: hunc in resurrectione singulis quibusque elementis, quae in descensu suo mutuata fuissent, in ascensu reddidisse, et sic dispersis quibusque corporis sui partibus, in coelo spiritum tantum reddidisse. Hic carnis resurrectionem negat; solo utitur et Apostolo, sed Marcionis, id est non toto. Animarum solarum dicit salutem. Habet praeterea privatas, sed extraordinarias lectiones suas, quas appellat phaneroseis, Philumenes cujusdam puellae, quam quasi prophetissam sequitur. Habet praeterea suos libros, quos inscripsit syllogismorum, in quibus probare vult, quod omnia, quaecunque Moyses de Deo scripserit, vera non sint, sed falsa sint.

52. His haereticis omnibus accedit Tatianus quidam alter haereticus: hic Justini martyris discipulus fuit; post hunc diversa sentire coepit: totus enim secundum Valen-

tinum sapit, adjiciens illud, Adam nec salutem consequi posse; quasi non, si rami salvi fiant, et radix salva sit. Accesserunt alii haeretici, qui dicuntur secundum phrygas; sed horum non una doctrina est. Sunt enim qui *κατὰ* Proclum dicuntur, sunt qui secundum Aeschinem pronunciantur. Hi habent aliam communem blasphemiam, aliam blasphemiam non communem, sed peculiarem suam: et communem quidem illam, qua in apostolis quidem dicant Spiritum sanctum fuisse, Paracletum non fuisse; et qua dicant Paracletum plura in Montano dixisse, quam Christum in Evangelium protulisse; nec tantum plura, sed etiam meliora atque majora. Privatam autem blasphemiam illi, qui sunt *κατὰ* Aeschinem, hanc habent, qua adjiciunt etiam hoc, ut dicant Christum ipsum esse Filium et Patrem.

53. Est praeterea his omnibus etiam Blastus accedens, qui latenter judaismum vult introducere. Pascha enim dicit non aliter custodiendum esse, nisi secundum legem Moysi XIV. mensis. Quis autem nesciat quoniam evangelica gratia evacuatur, si ad legem Christum redigit? Accedit his Theodotus haereticus byzantius: qui posteaquam Christi pro nomine comprehensus negavit, in Chri-

stum blasphemare non destitit: doctrinam enim introduxit, qua Christum hominem tantummodo diceret, Deum autem illum negaret; ex Spiritu quidem sancto natum ex virgine, sed hominem solitarium atque nudum, nulla alia prae ceteris, nisi sola justitiae auctoritate. Alter post hunc Theodotus haereticus erupit, qui et ipse introduxit alteram sectam, et ipsum hominem Christum tantummodo dicit ex Spiritu sancto, ex virgine Maria conceptum pariter et natum; sed hunc inferiorem esse quam Melchisedech, eo quod dictum sit de Christo: *Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech* (Psal. 109, 4.). Nam illum Melchisedech praecipuae gratiae coelestem esse virtutem, eo quod agat Christus pro hominibus, deprecator et advocatus ipsorum factus: Melchisedech facere pro coelestibus angelis atque virtutibus; nam esse illum usque adeo Christo meliorem, ut ἀπάτωρ sit, ἀμήτωρ sit, ἀγενεαλόγητος sit[1]) cujus neque initium neque finis comprehensus sit aut comprehendi possit. Sed post hos omnes etiam Praxeas quidam haeresim introduxit, quam

[1]) Abutuntur his Pauli verbis de Melchisedech *Sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum neque finem vitae habens* (Hebr. 7, 3).

Victorinus corroborare curavit: hic Deum Patrem omnipotentem Jesum Christum esse dicit; hunc crucifixum passumque contendit et mortuum: praeterea seipsum sibi sedere ad dexteram suam, cum profana et sacrilega temeritate proponit.

VINCENTII LIRINENSIS

COMMONITORIUM[1].

Incipit tractatus Peregrini pro catholicae fidei antiquitate et universitate adversus profanas omnium haereticorum novitates.

— —

CAPUT I*.

Commonitorii hujus scribendi occasio.

Dicente Scriptura et monente, *Interroga patres tuos, et dicent tibi, seniores tuos, et*

---

* Praefatio.

[1]) De s. Vincentio, qui ab insula Lerina vel Lerinum (Lirinum), nunc S. Honorati dicta, prope Nicaeam (Nizza) Lirinensis cognomen traxit, fere nihil scimus praeter ea, quae vel ex hoc commonitorio expiscari licet, vel Gennadius massiliensis c. 64. paucis ita complectitur: „Vincentius natione gallus, apud monasterium in lirinensi insula presbyter, vir in scripturis sanctis doctus et notitia ecclesiasticorum dogmatum sufficienter instructus, composuit ad ever-

annunciabunt tibi (Deut. 32, 7.); et item, *Verbis sapientium accommoda aurem tuam*

---

tenda haereticorum collegia nitido et aperto sermone validissimam disputationem, quam absconso nomine suo intitulavit *Peregrini adversus haereticos*; cujus operis quia secundi libri maximam in schedulis partem a quibusdam furatam perdidit, recapitulato ejus paucis sermonibus sensu, primo compegit et in librum unum edidit. Moritur Theodosio et Valentiniano regnantibus (c. a. 450)." Commonitorium autem hoc composuit, ut ex ejusdem c. 29. colligitur a. 434; illius scopus est ostendere in doctrina fidei suspectam esse novitatem, retinendam vero esse antiquitatem et in antiquitate consensionem. „Vix autem ullum in tota retro antiquitate opus reperietur, inquit Fessler (Instit. patrol. vol 2. §. 344. adn. 2. p. 588), in quod omnium laudes adeo conveniant. Dicitur quippe *aureum plane opusculum* (Baron. in suo martyrol. rom. Antwerpiae 1613. p. 220.), *parvum mole sed virtute maximum* (Bellarm. de script. eccles.), *solidum beatitudinis nostrae documentum, eleganter et nervose literis ab eruditissimo homine signatum, homini christiano nunquam manibus deponendum* (Barthii adversar. l. 18. c. 7. Francofurti 1624. p. 902), *perenne contra omnes haereses antiquas, novas et futuras monumentum* (Mabillon tract. de studiis monast. vol. 2. art. 21), item *libellus non magnus, verum aureolus et ad verbum ediscendus* (ib. vol. 1. l. part. 2. c. 4)." Neque solum catholici (cf. Norisium hist. pelag. l. 2. c. 11. opp. t. 1. p. 387), sed et heterodoxi (cf. eundem opp. t. 8. p. 993 ss.) magnis laudibus hoc commonitorium extollunt, quamvis hi praeeunte inprimis G. Callixto

(Eccli. 6.); et item, *Fili mi, hos sermones ne obliviscaris, mea autem verba custodiat cor tuum* (Prov. 3, 1.), videtur mihi minimo omnium servorum Dei Peregrino, quod res non minimae utilitatis Domino adjuvante futura sit, si ea quae fideliter a sanctis patribus accepi, literis comprehendam, infirmitati certe propriae pernecessaria; quippe cum adsit in promptu unde imbecillitas memoriae meae adsidua lectione reparetur. Ad quod me negotium non solum fructus operis, sed etiam consideratio temporis et opportunitas loci adhortatur. Tempus propterea, quod cum ab eo omnia humana rapiantur, et nos ex eo aliquid invicem rapere debemus quod in vitam proficiat aeternam; praesertim cum et

---

(in Vinc. commonitorio a se bis edito Helmaestadii 1629. et 1655.) frustra sategerint illud in rem suam convertere. Propter libelli hujus praestantiam fere innumerae etiam sunt ejus editiones. Hunc iterum in lucem emittentes, secuti sumus omnium praestantissimam Baluzii, qui illum ad codices regiae bibliothecae parisiensis recognitum una cum Salviani opusculis orbi literato impertiit a. 1663, 1669. et 1684. Duplex praesertim occurrit hujus commonitorii in capita partitio. Altera Baluzii in cc. 33, quam secuti sumus cum sit vulgatior, licet non semper sat apta; altera in praefationem et cc. 43, quam adoptarunt Salinas et Klüpfel, quamque in majorem lectorum utilitatem asteriscis indicabimus.

appropinquantis divini judicii terribilis quaedam exspectatio augeri efflagitet studia religionis, et novorum haereticorum fraudulentia multum curae et attentionis indicat. Locus autem, quod urbium frequentiam turbasque vitantes, remotioris villulae et in ea secretum monasterii incolamus habitaculum, ubi absque magna distractione fieri possit illud, quod canitur in psalmo (Psal. 45, 11.): *Vacate*, inquit, *et videte, quoniam ego sum Dominus*. Sed et propositi nostri ratio in id convenit; quippe qui cum aliquandiu variis ac tristibus secularis militiae turbinibus volveremur, tandem nos in portum religionis, cunctis semper fidissimum, Christo adspirante condidimus; ut ibi depositis vanitatis ac superbiae flatibus, christianae humilitatis sacrificio placantes Deum, non solum praesentis vitae naufragia, sed etiam futuri seculi incendia vitare possimus. Sed jam in nomine Domini quod instat aggrediar, ut scilicet a majoribus tradita et apud nos deposita describam relatoris fide potius quam auctoris praesumptione; hac tamen scribendi lege servata, ut nequaquam omnia sed tantum necessaria quaeque perstringam, neque id ornato et exacto sed facili communique sermone, ut pleraque significata potius quam

explicata videantur. Scribant ii laute et accurate, qui ad hoc munus vel ingenii fiducia vel officii ratione ducuntur. Me vero sublevandae recordationis vel potius oblivionis meae gratia *commonitorium* mihimet parasse suffecerit: quod tamen paulatim, recolendo quae didici, emendare et implere quotidie, Domino praestante, conabor. Atque hoc ipsum idcirco praemonui, ut si forte elapsum nobis, in manus sanctorum devenerit, nihil in eo temere reprehendant, quod adhuc videant promissa emendatione limandum.

CAPUT II*.

Norma generalis secernendi catholicae fidei veritatem ab haereticae pravitatis falsitate.

Saepe igitur magno studio et summa attentione perquirens a quamplurimis sanctitate et doctrina praestantibus viris, quonam modo possim certa quadam et quasi generali ac regulari via catholicae fidei veritatem ab haereticae pravitatis falsitate discernere, hujusmodi semper responsum ab omnibus fere retuli, quod sive ego sive quis alius vellet exsurgentium haereticorum fraudes deprehendere laqueosque vitare et in fide sana sanus atque integer permanere, duplici modo

* Caput I.

munire fidem suam, Domino adjuvante, deberet, primum scilicet divinae legis auctoritate, tum deinde Ecclesiae catholicae traditione. * Hic forsitan requirat aliquis: Cum sit perfectus Scripturarum canon, sibique ad omnia satis superque sufficiat, quid opus est ut ei ecclesiasticae intelligentiae jungatur auctoritas? Quia videlicet Scripturam sacram pro ipsa sua altitudine non uno eodemque sensu universi accipiunt, sed ejusdem eloquia aliter atque aliter alius atque alius interpretatur; ut pene quot homines sunt, tot illinc sententiae erui posse videantur. Aliter namque illam Novatianus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit, aliter Arius, Eunomius, Macedonius; aliter Photinus, Apollinaris, Priscillianus; aliter Jovinianus, Pelagius, Caelestius; aliter postremo Nestorius. Atque idcirco multum necesse est, propter tantos tam varii erroris anfractus, ut propheticae et apostolicae interpretationis linea secundum ecclesiastici et catholici sensus normam dirigatur. ** In ipsa item catholica Ecclesia magnopere curandum est, ut id teneamus quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est. Hoc est etenim vere proprieque catholicum, quod ipsa vis

* Caput II, ** Caput III.

nominis ratioque declarat, quae omnia fere universaliter comprehendit. Sed hoc ita demum fiet, si sequamur universitatem, antiquitatem, consensionem. Sequemur autem universitatem hoc modo, si hanc unam fidem veram esse fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia: antiquitatem vero ita, si ab his sensibus nullatenus recedamus quos sanctos majores ac patres nostros celebrasse manifestum est: consensionem quoque itidem, si in ipsa vetustate omnium vel certe pene omnium sacerdotum pariter et magistrorum definitiones sententiasque sectemur.

CAPUT III*.

Quid faciendum in unius vel plurium dissensu.

Quid igitur tunc faciet christianus catholicus, si se aliqua Ecclesiae particula ab universalis fidei communione praeciderit? Quid utique nisi ut pestifero corruptoque membro sanitatem universi corporis anteponat? Quid si novella aliqua contagio non jam portiunculam tantum sed totam pariter Ecclesiam commaculare conetur? Tunc item providebit ut antiquitati inhaereat, quae prorsum jam

* Caput IV.

non potest ab ulla novitatis fraude seduci. Quid si in ipsa vetustate, duorum aut trium hominum, vel certe civitatis unius aut etiam provinciae alicujus error deprehendatur? Tunc omnino curabit ut paucorum temeritati vel inscitiae, si qua sunt, universaliter antiquitus universalis concilii decreta praeponat. Quid si tale aliquid emergat ubi nihil hujusmodi reperiatur? Tunc operam dabit ut collatas inter se majorum consulat interrogetque sententias, eorum duntaxat, qui diversis licet temporibus et locis, in unius tamen Ecclesiae catholicae communione et fide permanentes, magistri probabiles exstiterunt, et quidquid non unus aut duo tantum, sed omnes pariter uno eodemque consensu aperte, frequenter, perseveranter tenuisse, scripsisse, docuisse cognoverit, id sibi quoque intelligat absque ulla dubitatione credendum.

CAPUT IV.

Novelli dogmatis inductione quantum invehatur calamitatis, donatistarum et arianorum perfidiae exemplo monstratur.

Sed ut planiora fiant quae dicimus, exemplis singillatim illustranda sunt et paulo uberius exaggeranda; ne immodicae brevitatis studio rapiantur rerum pondera orati-

onis celeritate. *Tempore Donati, a quo donatistae, cum sese multa pars Africae in erroris sui furias praecipitaret, cumque immemor nominis, religionis, professionis, unius hominis sacrilegam temeritatem Ecclesiae Christi praeponeret, tunc quicunque per Africam constituti, profano schismate detestato, universis mundi ecclesiis associati sunt, soli ex illis omnibus intra sacraria catholicae fidei salvi esse potuerunt, egregiam profecto relinquentes posteris formam quemadmodum scilicet deinceps, bono more, unius aut certe paucorum vesaniae universorum sanitas anteferretur. ** Item quando arianorum venenum non jam portiunculam quandam, sed pene orbem totum contaminaverat, adeo ut prope cunctis latini sermonis episcopis partim vi partim fraude deceptis, caligo quaedam mentibus offunderetur, quidnam potissimum in tanta rerum confusione sequendum foret, tunc quisquis verus Christi amator et cultor exstitit, antiquam fidem novellae perfidiae praeferendo, nulla contagii ipsius peste maculatus est. Cujus quidem temporis periculo satis superque monstratum est, quantum invehatur calamitatis novelli dogmatis indu-

* Caput V. ** Caput VI.

ctione. Tunc siquidem non solum parvae res sed etiam maximae labefactatae sunt. Nec enim tantum affinitates, cognationes, amicitiae, domus, verum etiam urbes, populi, provinciae, nationes, universum postremo romanum imperium funditus concussum et emotum est. Namque cum profana ipsa arianorum novitas, velut quaedam Bellona aut furia, capto primo omnium imperatore[1]), cuncta deinde palatii culmina legibus novis subjugasset, nequaquam deinceps destitit universa miscere atque vexare privata ac publica, sacra profanaque omnia, nullum boni et veri gerere discrimen, sed quoscunque collibuisset, tamquam de loco superiore percutere. Tunc temeratae conjuges, depullatae viduae, profanatae virgines, monasteria demolita, disturbati clerici, verberati levitae, acti in exsilium sacerdotes, oppleta sanctis ergastula, carceres, metalla: quorum pars maxima, interdictis urbibus, protrusi atque extorres, inter deserta, speluncas, feras, saxa, nuditate, fame, siti affecti, contriti et tabefacti sunt. Atque haec omnia numquid ullam aliam ob causam, nisi utique dum pro coelesti dogmate humanae superstitiones intro-

---

[1]) I. e. Constantio, filio Constantini M.

ducuntur, dum bene fundata antiquitas scelesta novitate subruitur, dum superiorum instituta violantur, dum rescinduntur scita patrum, dum convelluntur definita majorum, dum sese intra sacratae atque incorruptae vetustatis castissimos limites profanae ac novellae curiositatis libido non continet[1])?

CAPUT V*.

Sequendi sunt nobis martyres, quos defensione fidei majorum nulla vis depulit.

Sed forsitan odio novitatis et amore vetustatis haec fingimus. Quisquis hoc aestimat, beato saltem credat Ambrosio, qui in

---

* Caput VII.

[1]) Hinc arianorum malleus, s. Athanasius, ita adversus eosdem scribere potuit (de decr. nic. syn. n. 27.): „En igitur nos quidem demonstravimus istiusmodi sententiam (i. e. catholicam de Filii consubstantialitate) a patribus ad patres quasi per manus esse traditam. Vos autem, o novi judaei et Caiphae discipuli, quos demum assertionum vestrarum patres ostendere valetis? *Ne unum quidem* e prudentibus et cordatis nominare potestis: cuncti vos aversantur praeter unum diabolum, qui solus hujus defectionis vobis auctor fuit, vobisque primum impietatem hanc inseminavit, ac nunc etiam suadet, ut oecumenicam synodum vestris maledictis insectemini, quia videlicet non vestra sed illa definierit, quae ab initio tradi-

secundo ad imperatorem Gratianum libro acerbitatem temporis ipse deplorans ait: „Sed jam satis, inquit, omnipotens Deus nostro exitio nostroque sanguine confessorum neces, exsilia sacerdotum, et nefas tantae impietatis eluimus. Satis claruit eos qui violaverint fidem, tutos esse non posse (lib. 2. de fide c. 15. n. 141)." Item in tertio ejusdem operis libro (n. 128): „Servemus igitur, inquit, praecepta majorum, nec hereditaria signacula ausi rudi temeritate violemus. Librum signatum illum propheticum non seniores, non potestates, non angeli, non archangeli aperire ausi sunt: soli Christo explanandi ejus praerogativa servata est. Librum sacerdotalem quis nostrum dissignare audeat, signatum a confessoribus, et multorum jam martyrio consecratum? quem qui dissignare coacti

---

dere testes oculati, qui et ministri Verbi fuere (1. Joan. 1, 1). Nam fides, quam synodus (nicaena) scripto confessa est, ipsa vere est catholicae Ecclesiae, quam ut tuerentur, placuit beatis patribus ita scribere arianamque haeresim condemnare." Similia passim apud ipsum legimus, ut de sententia Dion. n. 1 ss. n. 27; or. 1. c. arianos n. 10; de synodis n. 20; in vita s. Antonii n. 28. Ita autem s. doctor scribere non potuisset, si patrum antenicaenorum pars major, ut nonnulli affirmant, arianae praclusisset haeresi.

sunt[1]), postea tamen damnata fraude signarunt; qui violare non ausi sunt, confessores et martyres exstiterunt. Quomodo fidem eorum possumus denegare, quorum victoriam praedicamus?" Praedicamus plane, inquam, o venerande Ambrosi, praedicamus plane, laudantesque miramur. Nam quis ille tam demens est qui eos, etsi assequi non evaleat, non exoptet sequi, quos a defensione fidei majorum nulla vis depulit, non minae, non

---

[1]) *Dissignare coacti sunt.* Editores maurini operum s. Ambrosii sicut et Costerus in sua editione Vincentii nostri habent *resignare*, quos secutus est initio etiam Baluzius; veteres vero editiones tum Ambrosii, tum Vincentii *designare* habent; demum hanc lectionem praeferendam esse censuit Baluzius auctoritate innixus veterum codicum. Sensus vero est idem, cum *dissignare (designare)* et *resignare* sit signum sive sigillum solvere. Intelligit autem hic Ambrosius episcopos Arimini lapsos a. 359, quos Constantius partim dolosa persuasione, partim inflictis calamitatibus eo demum adegit, ut rescissis, quae jure ante decreverant, formulae etiam sirmiensi non sine magna proborum offensione subscriberent vocesque substantiae et *consubstantialis* reprobarent. Cognito tamen dolo et libertati restituti ariminenses episcopi contestabantur corpus Domini et quidquid in Ecclesia sanctum est, se nihil mali fuisse suspicatos, quae flentes asserebant parati et subscriptionem pristinam et omnes arianorum blasphemias condemnare, ut testatur Hieronymus in dial. adv. luciferianos n. 19.

blandimenta, non vita, non mors, non palatium, non satellites, non imperator, non imperium, non homines, non daemones, quos inquam pro religiosae vetustatis tenacitate tanto munere Dominus dignos judicavit, ut per eos prostratas restauraret ecclesias, exstinctos spiritales populos vivificaret, dejectas sacerdotum coronas reponeret, nefarias illas novellae impietatis non literas, sed lituras, infuso coelitus episcopis fidelium lacrymarum fonte deleret, universum postremo jam pene mundum saeva repentinae haereseos tempestate perculsum ad antiquam fidem a novella perfidia, ad antiquam sanitatem a novitatis vesania, ad antiquam lucem a novitatis coecitate revocaret[1]? * Sed in hac divina quadam

---

* Caput VIII.

[1]) Hi sancti viri, scribit in h. l. Salinas, per quos tam mira operatus est Deus, fuere Athanasius, Hilarius, Eusebius (vercellensis) et Ambrosius. Hinc Hieronymus in dial. c. lucifer. n. 19. ait: „Tunc triumphatorem suum Athanasium Aegyptus excepit; tunc ad reditum Eusebii lugubres vestes Italia mutavit.“ De Ambrosio vero post Hieronymum ad. a. Gratiani 11. loquitur Prosper in chron. dicens: Post Auxentii „seram mortem Mediolani Ambrosio episcopo constituto, omnis ad fidem rectam Italia convertitur“ i. e. regionum illarum portio, quae vicario Italiae

confessorum virtute illud est etiam nobis vel maxime considerandum, quod tunc apud ipsam Ecclesiae vetustatem non partis alicujus sed universitatis ab iis est suscepta defensio. Neque enim fas erat, ut tanti ac tales viri unius aut duorum hominum errabundas sibique ipsis contrarias suspiciones tam magno molimine assererent, aut vero pro alicujus provinciolae temeraria quadam conspiratione certarent; sed omnium sanctae Ecclesiae sacerdotum apostolicae et catholicae

parebat, nempe Insubria, Aemilia et Liguria. Sua namque praedicatione Ambrosius distractas ecclesias junxit ac nexuit cum fidei vertice ac custode romano pontifice. Hinc in comment. super Luc. l. 9. c. 20. gratulatur de haeresi subacta in sui episcopatus exordio dicens: „Dissensionum omnium procella deferbuit: cuncti secularis cupiditatis ardores aestusque omnes, quibus Italiae populus per judaicae olim proximae saevitatis incendia coquebatur, sereno jam spiramine temperatur.“ Unde Felix Ennodius in ejus laudem cecinit l. 1. carm. n. 15. hym. 6:

Adjunctus hinc apostolis
Reduxit expulsam fidem,
Dixit triumphos martyrum
Linguae virentis laureis.

Et haec sincerae fidei praedicatio causa fuit, romano pontifice annuente, ut metropolitica haberi coeperit mediolanensis ecclesia, quod docte ac solerter vidit Benedictus Bacchinius in diss. de eccles. hierarchiae orig. p. 2. n. 10.

veritatis heredum, decreta et definita sectantes, maluerunt semetipsos quam vetustae universitatis fidem prodere. Unde et ad tantam gloriam pervenire meruerunt, ut non solum confessores verum etiam confessorum principes jure meritoque habeantur.

CAPUT VI.

Quo quisque religiosior est, eo promptius novellis adinventionibus contrait. Unde magno studio s. Stephanus papa restitit iterationi baptismatis.

Magnum hoc igitur eorundem beatorum exemplum planeque divinum, et veris quibusque catholicis indefessa meditatione recolendum, qui in modum septemplicis candelabri septena sancti Spiritus luce radiantes, clarissimam posteris formulam praemonstrarunt, quonam modo deinceps per singula quaeque errorum vaniloquia sacratae vetustatis auctoritate profanae novitatis conteratur audacia. * Neque hoc sane novum. Siquidem mos iste semper in Ecclesia viguit, ut quo quisque foret religiosior, eo promptius novellis adinventionibus contrairet. Exemplis talibus plena sunt omnia. Sed ne longum fiat, unum aliquod et hoc ab apostolica po-

* Caput IX.

tissimum sede sumemus, ut omnes luce clarius* videant beatorum apostolorum beata successio quanta vi semper, quanto studio, quanta contentione defenderit susceptae semel religionis integritatem. Quondam igitur venerabilis memoriae Agrippinus carthaginensis episcopus, primus omnium mortalium contra divinum canonem, contra universalis Ecclesiae regulam, contra sensum omnium consacerdotum, contra morem atque instituta majorum, rebaptizandum esse censebat. Quae praesumptio tantum mali invexit, ut non solum haereticis omnibus formam sacrilegii, sed etiam quibusdam catholicis occasionem praebuerit erroris. Cum ergo undique ad novitatem rei cuncti reclamarent, atque omnes quaquaversum sacerdotes pro suo quisque studio reniterentur, tunc beatae memoriae papa Stephanus apostolicae sedis antistes cum ceteris quidem collegis suis, sed tamen prae ceteris restitit, dignum, ut opinor, existimans si reliquos omnes tantum fidei devotione vinceret quantum loci auctoritate superabat. Denique in epistola quae tunc ad Africam missa est, his verbis sanxit: „Nihil novandum nisi quod traditum est[1]."

[1]) Epistola s. Stephani ad Cyprianum intercidit. Haec tantum ex illa servavit nobis s. Cyprianus (in

Intelligebat etenim vir sanctus et prudens nihil aliud rationem pietatis admittere nisi ut omnia, qua fide a patribus suscepta forent, eadem fide filiis consignarentur, nosque religionem non qua vellemus ducere, sed potius qua illa duceret sequi oportere, idque esse proprium christianae modestiae et gravitatis, non sua posteris tradere, sed a majoribus accepta servare. Quis ergo tunc universi negotii exitus? Quis utique nisi usitatus et solitus? Retenta est scilicet antiquitas, explosa novitas. * Sed forte tunc ipsi novitiae adinventioni patrocinia defuerunt? Imo vero tanta vis ingenii adfuit, tanta eloquentiae flumina, tantus assertorum numerus, tanta veri similitudo, tanta divinae legis oracula, sed plane novo ac malo more intellecta, ut mihi omnis illa conspiratio nullo modo destrui potuisse videatur nisi sola tanti moliminis causa ipsa illa suscepta, ipsa defensa, ipsa laudata novitatis professio destituisset.

---

ep. ad Pompej. 74. n. 2.): „Si quis ergo a quacunque haeresi venerit ad nos, nihil innovetur nisi (i. e. sed servetur tantum) quod traditum est, ut manus illi imponatur ad poenitentiam, quum ipsi haeretici proprie alterutrum ad se venientes non baptizent, sed communicent tantum."

* Caput X.

Quid postremo ipsius africani concilii[1]) sive decreti quae vires? Donante Deo, nullae; sed universa, tamquam somnia, tamquam fabulae, tamquam superflua, abolita, antiquata, calcata sunt. *Et, o rerum mira conversio! Auctores ejusdem opinionis catholici, consectatores vero haeretici judicantur; absolvuntur magistri, condemnantur discipuli; conscriptores librorum filii regni erunt, assertores vero gehenna suscipiet. Nam quis ille tam demens est, qui illud sanctorum omnium et episcoporum et martyrum lumen beatissimum Cyprianum cum ceteris collegis suis in aeternum dubitet regnaturum esse cum Christo[2])? Aut quis tam contra sacrilegus, qui

* Caput XI.

[1]) *Africani concilii.* Duo valde celebria episcoporum concilia fuere apud afros, quae doctrinam de rebaptizatione sanciverunt. Primum cujus in ep. 71. et 73. meminit Cyprianus, congregatum fuit ab Agrippino episc. carthaginensi, cui interfuerunt episcopi provinciarum Africae et Numidiae. Secundum sub Cypriano habitum Carthagine a. 256. cui interfuerunt afri, numidae et mauri. De posteriori loqui Vincentium puto. Ita Baluzius.

[2]) Ideo autem nemo dubitat s. Cyprianum regnare cum Christo, quia, ut ad rem scribit Augustinus (ep. 93. al. 48. n. 40.) adversus donatistas illius martyris auctoritate abutentes „aut non sensit omnino quod eum sensisse recitatis; aut hoc postea correxit in regula veritatis; aut hunc quasi naevum sui can-

donatistas et ceteras pestes, quae illius auctoritate concilii rebaptizare se jactitant, in

---

didissimi pectoris cooperuit ubere caritatis, dum unitatem Ecclesiae toto orbe crescentis et copiosissime defendit, et perseverantissime tenuit vinculum pacis; scriptum est enim: *Caritas cooperit multitudinem peccatorum* (1. Petr. 4, 8).' Accessit huc etiam, quod tamquam sarmentum fructuosissimum, si quid fuerit in eo emendandum, purgavit Pater falce passionis. *Sarmentum enim*, ait Dominus, *quod in me dat fructum, purgat illud Pater meus, ut majorem fructum afferat* (Joan. 15, 2). Unde, nisi quia haerens in diffusione vitis, radicem non deseruit unitatis? Nam etsi traderet corpus suum ut arderet, caritatem autem non haberet, nihil ei prodesset (1. Cor. 13, 3)." Pulchre etiam ita hac de re disserit s. 37. al. de div. 45. n. 3: „Sunt in Ecclesia lapides pretiosi et semper fuerunt, docti, abundantes scientia et eloquio et omni instructione legis. Pretiosi plane lapides isti sunt; sed ex eorum numero quidam aberraverunt ab ornamento mulieris hujus. Quantum enim pertinet ad doctrinam et eloquium unde fulget, lapis pretiosus erat Cyprianus, sed mansit in hujus ornamento. Lapis pretiosus erat Donatus: sed resiluit a compage ornamenti. Ille qui mansit, in ea se amari voluit: ille qui inde excussus est, praeter illam nomen sibi quaesivit. Ille permanens cum illa, ad illam collegit: ille resiliens, non colligere sed spargere concupivit. Mali filii, quid sequimini lapidem pretiosum de ornamento hujus mulieris excussum?" Cf. de bapt. l. 1. cc. 18, 19; l. 2. c. 5; c. 17; l. 7. c. 1.

sempiternum neget arsuros esse cum diabolo?

CAPUT VII.

Haeretici ut filii Cham libenter sanctorum virorum errata produnt et paulo obscurius dicta pro se citant. Sollicite cavendi sunt ii, qui fidem immutare audent.

Quod quidem mihi divinitus videtur promulgatum esse judicium propter eorum maxime fraudulentiam, qui cum sub alieno nomine haeresim concinnare machinentur, captant plerumque veteris cujuspiam viri scripta paulo involutius edita, quae pro ipsa sui obscuritate dogmati suo quasi congruant, ut illud nescio quid quodcunque proferunt, neque primi neque soli sentire videantur. Quorum ego nequitiam duplici odio dignam judico, vel eo quod haereseos venenum propinare aliis non pertimescunt, vel eo etiam quod sancti cujusque viri memoriam tamquam sopitos jam cineres profana manu ventilant, et quae silentio sepeliri oportebat, rediviva opinione diffamant, sequentes omnino vestigia auctoris sui Cham, qui nuditatem venerandi Noe non modo operire neglexit, verum quoque irridendam ceteris enunciavit (Gen. 5.). Unde tantam laesae

pietatis meruit offensam, ut etiam posteri ipsius peccati sui maledictis obligarentur, beatis illis fratribus multum longeque dissimilis, qui nuditatem ipsam reverendi patris neque suis temerare oculis neque alienis patere voluerunt, sed aversi, ut scribitur, texerunt eum, quod est erratum sancti viri nec approbasse nec prodidisse, atque idcirco beata in posteros benedictione donati sunt. Sed ad propositum redeamus. * Magno igitur metu nobis immutatae fidei ac temeratae religionis piaculum pertimescendum est; a quo nos non solum constitutionis ecclesiasticae disciplina sed etiam censura apostolicae deterret auctoritatis. Scitum enim cunctis est quam graviter, quam severe, quam vehementer invehatur in quosdam beatus apostolus Paulus, qui mira levitate nimium cito translati fuerant ab eo, qui eos vocaverat in gratiam Christi in aliud evangelium, quod non est aliud (Gal. 1, 6); qui coacervarant sibi magistros ad sua desideria, a veritate quidem auditum avertentes, conversi vero ad fabulas (2. Tim. 4, 3.); habentes damnationem quod primam fidem irritam fecissent; quos deceperant ii, de quibus ad romanos

---

* Caput XII.

fratres scribit idem Apostolus: *Rogo autem vos, fratres, ut observetis eos, qui dissensiones et offendicula praeter doctrinam quam ipsi didicistis faciunt, et declinate ab illis. Hujusmodi enim Christo Domino non serviunt, sed suo ventri, et per dulces sermones et benedictiones seducunt corda innocentium* (Rom. 16, 17 ss.). *Qui intrant per domos, et captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis quae ducuntur variis desideriis; semper discentes, et ad scientiam veritatis nunquam pervenientes* (2.Tim. 3,6). *Vaniloqui et seductores, qui universas domos subvertunt, docentes quae non oportet, turpis lucri gratia* (Tit. 1, 11). *Homines corrupti mente, reprobi circa fidem:* superbi et nihil scientes, sed languentes circa quaestiones et pugnas verborum: qui veritate privati sunt, existimantes quaestum esse pietatem (1. Tim. 6, 4.), simul autem et otiosi discunt circumire domos; non solum autem otiosi, sed et verbosi, et curiosi, loquentes quae non oportet: qui bonam conscientiam repellentes circa fidem naufragaverunt: quorum profana vaniloquia multum proficiunt ad impietatem, et sermo eorum ut cancer serpit (1. Tim. 1, 19; 2. Tim. 2. 16). Bene autem quod de iis item scribitur: *Sed ultra*

non proficient. Insipientia enim eorum manifesta erit omnibus, sicut et illorum fuit (2. Tim. 3, 9).

CAPUT VIII.

Exponuntur verba s. Pauli ad Gal. 1, 8.

Cum ergo tales quidam circumeuntes provincias et civitates, atque errores venalitios circumferendo, etiam ad galatas devenissent, cumque his auditis galatae nausea quadam veritatis affecti, apostolicae catholicaeque doctrinae manna revomentes haereticae novitatis sordibus oblectarentur, ita sese apostolicae potestatis exseruit auctoritas, ut summa cum severitate decerneret: *Sed licet nos*, inquit, *aut angelus de coelo evangelizet vobis praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit* (Gal. 1, 8). Quid est quod ait, *Sed licet nos?* Cur non potius, *Sed licet ego?* Hoc est: Etiamsi Petrus, etiamsi Andreas, etiamsi Joannes, etiamsi postremo omnis apostolorum chorus evangelizet vobis praeterquam quod evangelizavimus, anathema sit. Tremenda districtio, propter asserendam primae fidei tenacitatem nec sibi nec ceteris coapostolis pepercisse. Parum est. *Etiamsi angelus*, inquit, *de coelo evangelizet vobis praeterquam*

quod evangelizavimus, anathema sit. Non suffecerat ad custodiam traditae semel fidei humanae conditionis commemorasse naturam, nisi angelicam quoque excellentiam comprehendisset. *Licet nos*, inquit, *aut angelus de coelo.* Non quia sancti coelestesque angeli peccare jam possint. Sed hoc est quod dicit: Si etiam, inquit, fiat quod non potest fieri, quisquis ille traditam semel fidem mutare tentaverit, anathema sit. * Sed haec forsitan perfunctorie praelocutus est, et humano potius effudit impetu quam divina ratione decrevit. Absit. Sequitur enim, et hoc ipsum ingenti molimine iteratae insinuationis inculcat: *Sicut praediximus et nunc iterum dico: Si quis vobis evangelizaverit praeterquam quod accepistis, anathema sit.* Non dixit: Si quis vobis annunciaverit praeterquam quod accepistis, benedictus sit, laudetur, recipiatur; sed, *anathema sit*, inquit, id est, separatus, segregatus, exclusus, ne unius ovis dirum contagium innoxium gregem Christi venenata permixtione contaminet.

CAPUT IX.

Quae galatis praecepta sunt, ad omnes spectant.

Sed forsitan galatis ista tantum praecepta

* Caput XIII.

sunt. Ergo et illa solis galatis imperata sunt quae in ejusdem epistolae sequentibus commemorantur: qualia sunt haec: *Si vivimus spiritu, spiritu et ambulemus. Non efficiamur inanis gloriae cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes* (Gal. 5, 25), et reliqua. Quod si absurdum est, et omnibus ex aequo imperata sunt, restat ut sicut haec morum mandata, ita etiam illa quae de fide cauta sunt omnes pari modo comprehendant, et sicut nemini licet invicem provocare aut invidere invicem, ita nemini liceat praeter id quod Ecclesia catholica usquequaque evangelizat accipere. * Aut forsitan tunc jubebatur, si quis annunciasset praeterquam quod annunciatum fuerat, anathematizari, nunc vero jam non jubetur. Ergo et illud quod item ibi ait: *Dico autem, spiritu ambulate, et desiderium carnis non perficietis*, tunc tantum jubebatur, modo vero jam non jubetur. Quod si impium pariter et perniciosum est ita credere, necessario sequitur ut sicut haec cunctis aetatibus observanda sunt, ita illa quoque, quae de non mutanda fide sancita sunt, cunctis aetatibus imperata sint. Annunciare ergo aliquid christianis catholicis,

---

* Caput XIV.

praeter id quod acceperunt, nunquam licuit, nusquam licet, nunquam licebit; et anathematizare eos, qui annunciant aliquid praeterquam quod semel acceptum est, nunquam non oportuit, nusquam non oportet, nunquam non oportebit. Quae cum ita sint, estne aliquis vel tantae audaciae, qui praeter id quod apud Ecclesiam annunciatum est, annunciet, vel tantae levitatis qui praeter id, quod ab Ecclesia accepit, accipiat? Clamat, et repetendo clamat, et omnibus, et semper, et ubique per literas suas clamat ille, ille vas electionis, ille magister gentium, ille apostolorum tuba, ille terrarum praeco, ille coelorum conscius, ut si quis novum dogma annunciaverit, anathematizetur. Et contra reclamant ranae quaedam et cyniphes et muscae moriturae, quales sunt pelagiani, et hoc catholicis. Nobis, inquiunt, auctoribus, nobis principibus, nobis expositoribus, damnate quae tenebatis, tenete quae damnabatis, rejicite antiquam fidem, paterna instituta, majorum deposita; et recipite, Quaenam illa tandem? Horreo dicere. Sunt enim tam superba, ut mihi non modo affirmari sed ne refelli quidem sine aliquo piaculo posse videantur.

CAPUT X*.

Cur saepe divinitus magni viri rerum novarum in Ecclesia fieri auctores sinantur.

Sed dicet aliquis: Cur ergo persaepe divinitus sinuntur excellentes quaedam personae in Ecclesia constitutae res novas catholicis annunciare? Recta interrogatio et digna quae diligentius atque uberius pertractetur: cui tamen non ingenio proprio, sed divinae legis auctoritate, ecclesiastici magisterii documento satisfaciendum est. Audiamus ergo sanctum Moysen; et ipse nos doceat, cur docti viri, et qui propter scientiae gratiam ab Apostolo etiam prophetae nuncupantur, proferre interdum permittantur nova dogmata, quae vetus testamentum allegorico sermone deos alienos appellare consuevit, eo quod scilicet ita ab haereticis ipsorum opiniones sicut a gentibus dii sui observentur. Scribit ergo in Deuteronomio beatus Moyses: *Si surrexerit*, inquit, *in medio tui propheta, aut qui somnium vidisse se dicat*, id est, magister in Ecclesia constitutus, quem discipuli vel auditores sui ex aliqua revelatione docere arbitrentur. Quid deinde? *et praedixerit*, inquit, *signum atque*

* Caput XV.

portentum, et evenerit quod locutus est. Magnus profecto nescio quis signatur magister et tantae scientiae, qui sectatoribus propriis non solum quae humana sunt nosse, verum etiam quae supra hominem sunt praenoscere posse videatur; quales fere discipuli sui jactitant fuisse Valentinum, Donatum, Photinum, Apollinarem, ceterosque ejusmodi. Quid postea? *et dixerit,* inquit, *tibi: Eamus et sequamur deos alienos, quos ignoras, et serviamus eis.* Qui sunt dii alieni nisi errores extranei, quos ignorabas, id est, novi et inauditi? *et serviamus eis*, id est, credamus eis, sequamur eos. Quid ad extremum? *non audies*, inquit, *verba prophetae illius aut somniatoris.* Et quare, oro te, a Deo non prohibetur doceri quod a Deo prohibetur audiri? *Quia*, inquit, *tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat utrum diligatis eum an non in toto corde et in tota anima vestra* (Deut. 13, 1 ss.). Luce clarius aperta causa est, cur interdum divina providentia quosdam ecclesiarum magistros nova quaedam dogmata praedicare patiatur. *Ut tentet vos*, inquit, *Dominus Deus vester.* Et profecto magna tentatio est cum ille, quem tu prophetam, quem prophetarum discipulum, quem doctorem et assertorem veritatis putes,

quem summa veneratione et amore complexus sis, is subito latenter noxios subinducat errores, quos nec cito deprehendere valeas, dum antiqui magisterii duceris praejudicio, nec facile damnare fas ducas, dum magistri veteris praepediris affectu.

CAPUT XI*.

Quae Moysi verbis asserta sunt, ecclesiasticis confirmantur exemplis.

Hic forsitan efflagitet aliquis ut ea, quae sancti Moysi verbis asserta sunt, ecclesiasticis aliquibus demonstrentur exemplis. Aequa expostulatio, nec diu differenda. Nam ut a proximis et manifestis incipiam, qualem fuisse nuper tentationem putamus, cum infelix ille Nestorius subito ex ove conversus in lupum, gregem Christi lacerare coepisset, cum eum hi ipsi qui rodebantur, ex magna adhuc parte ovem crederent, ideoque morsibus suis magis paterent? Nam quis eum facile errare arbitraretur, quem tanto imperii judicio electum[1]), tanto sacerdotum studio prosecutum

* Caput XVI.

[1]) *Imperii judicio electum.* Quippe cum post Sisinnii ep. CP. mortem ea sedes vacaret pluresque eam ambirent, Theodosius imperator, ut pacem in ea

videret, qui cum magno sanctorum amore, summo populi favore celebraretur, quotidie palam divina tractabat eloquia, et noxios quosque judaeorum et gentilium confutabat errores? Quo tandem iste modo non cuivis fidem faceret se recta docere, recta praedicare, recta sentire, qui ut uni haeresi suae aditum patefaceret, cunctarum haereseon blasphemias insectabatur? Sed hoc erat illud quod Moyses ait: *Tentat vos Dominus Deus vester, si diligatis eum an non.* Et ut Nestorium praetereamus, in quo plus semper admirationis quam utilitatis, plus famae quam experientiae fuit, quem opinione vulgi aliquandiu magnum humana magis fecerat gratia quam divina, eos potius commemoremus, qui multis profectibus multaque industria praediti non parvae tentationi catholicis hominibus exstiterunt. Velut apud Pannonias majorum memoria Photinus ecclesiam sirmitanam tentasse memoratur: ubi cum magno omnium favore in sacerdotium fuisset ascitus, et aliquandiu tamquam catholicus

---

ecclesia retineret, electionis summam in se traxit, exclusisque omnibus ecclesiae CP. clericis, Nestorium ex Antiochia accitum ad sedem constantinopolitanam evexit, ut Socrates scribit l. 7. c. 29. Ordinatus autem est a. 428. 4. idus Aprilis. Baluzius.

administraret, subito, sicut malus ille propheta aut somniator, quem Moyses significat, creditam sibi plebem Dei persuadere coepit, ut sequeretur deos alienos, id est, errores extraneos, quos antea nesciebat. Sed hoc usitatum. Illud vero perniciosum, quod ad tantum nefas non mediocribus adminiculis utebatur. Nam erat et ingenii viribus valens et doctrinae opibus excellens et eloquio praepotens, quippe qui utroque sermone copiose et graviter disputaret et scriberet, quod monumentis librorum suorum manifestatur, quos idem partim graeco, partim latino sermone composuit. Sed bene quod commissae ipsi oves Christi multum pro catholica fide vigilantes et cautae cito ad praemonentis Moysi eloquia respexerunt, et prophetae atque pastoris sui licet admirarentur eloquentiam, tentationem tamen non ignorarunt. Nam quem antea quasi arietem gregis sequebantur, eundem deinceps veluti lupum fugere coeperunt. Neque solum Photini sed etiam Apollinaris exemplo istius ecclesiasticae tentationis periculum discimus, et simul ad observandae diligentius fidei custodiam commonemur. Etenim ipse auditoribus suis magnos aestus et magnas generavit angustias; quippe cum eos huc Ecclesiae traheret au-

ctoritas, huc magistri retraheret consuetudo, cumque inter utraque nutabundi et fluctuantes, quid potius sibi seligendum foret non expedirent. Sed forsitan ejusmodi ille vir erat, qui dignus esset facile contemni. Imo vero tantus ac talis, cui nimium cito in plurimis crederetur. Nam quid illo praestantius acumine, exercitatione, doctrina? Quam multas ille haereses multis voluminibus oppresserit, quot inimicos fidei confutaverit errores, indicio est opus illud triginta non minus librorum, nobilissimum ac maximum, quo insanas Porphyrii calumnias magna probationum mole confudit. Longum est universa ipsius opera commemorare, quibus profecto summis aedificatoribus Ecclesiae par esse potuisset, nisi profana illa haereticae curiositatis libidine novum nescio quid adinvenisset, quo et cunctos labores suos velut cujusdam leprae admixtione foedaret et committeret, ut doctrina ejus non tam aedificatio quam tentatio potius ecclesiastica diceretur.

CAPUT XII.

Errores Photini, Apollinaris et Nestorii exponuntur.

Hic a me forsitan deposcatur, ut horum quos supra commemoravi haereses exponam,

Nestorii scilicet, Apollinaris et Photini. Hoc quidem ad rem de qua nunc agimus non attinet. Propositum etenim nobis est, non singulorum errores persequi, sed paucorum exempla proferre, quibus evidenter ac perspicue demonstretur illud quod Moyses ait, quia scilicet si quando ecclesiasticus aliquis magister, et ipse interpretandis prophetarum mysteriis propheta, novi quiddam in Ecclesiam Dei tentet inducere, ad tentationem id nostram fieri providentia divina patiatur. * Utile igitur fuerit, in excursu, quid supra memorati haeretici sentiant breviter exponere, id est, Photinus, Apollinaris, Nestorius. Photini ergo secta haec est. Dicit Deum singulum esse et solitarium et more judaico confitendum. Trinitatis plenitudinem negat, neque ullam Dei Verbi aut ullam Spiritus sancti putat esse personam. Christum vero hominem tantummodo solitarium asserit, cui principium adscribit ex Maria: et hoc omnimodis dogmatizat, solam nos personam Dei Patris et solum Christum hominem colere debere. Haec ergo Photinus. Apollinaris vero in unitate quidem trinitatis quasi consentire se jactitat, et hoc ipsum non plena

* Caput XVII.

fidei sanitate, sed in Domini incarnatione aperta professione blasphemat. Dicit enim in ipsa Salvatoris nostri carne aut animam humanam penitus non fuisse, aut certe talem fuisse, cui mens et ratio non esset. Sed et ipsam Domini carnem non de sanctae virginis Mariae carne susceptam, sed de coelo in virginem descendisse dicebat; eamque nutabundus semper et dubius modo coaeternam Deo Verbo, modo de Verbi divinitate factam praedicabat. Nolebat enim in Christo esse duas substantias, unum divinam, alteram humanam, unam ex Patre, alteram ex matre; sed ipsam Verbi naturam putabat esse discissam, quasi aliud ejus permaneret in Deo, aliud vero versum fuisset in carnem; ut cum veritas dicat ex duabus substantiis unum esse Christum, ille contrarius veritati ex una Christi divinitate duas asserat factas esse substantias. Haec itaque Apollinaris. Nestorius autem contrario Apollinari morbo, dum sese duas in Christo substantias distinguere simulat, duas introducit repente personas, et inaudito scelere duos esse vult filios Dei, duos Christos, unum Deum, alterum hominem, unum qui ex Patre, alterum qui sit generatus ex matre. Atque ideo asserit sanctam Mariam non Theotocon, sed Christo-

tocon esse dicendam: quia scilicet ex ea non ille Christus qui Deus, sed ille qui erat homo, natus sit. Quod si quis eum putat in literis suis unum Christum dicere et unam Christi praedicare personam, non temere credat. Aut enim istud fallendi arte machinatus est, ut per bona facilius suaderet et mala, sicut ait Apostolus: *Per bonum mihi operatus est mortem.* Aut ergo, ut diximus, fraudulentiae causa quibusdam in locis scriptorum suorum unum Christum et unam Christi personam credere se jactitat, aut certe post partum jam virginis ita in unum Christum duas perhibet convenisse personas, ut tamen conceptus seu partus virginei tempore et aliquanto postea duos Christos fuisse contendat; ut cum scilicet Christus homo communis primum et solitarius natus sit, et necdum Dei Verbo personae unitate sociatus, postea in eum assumentis Verbi persona descenderit; et licet nunc in Dei gloria maneat assumptus, aliquandiu tamen nihil inter illum et ceteros homines interfuisse videatur.

CAPUT XIII*.

Doctrinae catholicae de Trinitate et incarnatione luculenta expositio.

Haec ergo Nestorius, Apollinaris, Photinus

* Caput XVIII.

adversus catholicam fidem rabidi canes latrant; Photinus, Trinitatem non confitendo; Apollinaris, convertibilem Verbi dicendo naturam, et duas in Christo substantias non confitendo, et aut totam Christi animam aut certe mentem atque rationem in anima denegando, et asserendo pro sensu mentis fuisse Dei Verbum; Nestorius duos Christos aut semper esse aut aliquandiu fuisse asseverando. Ecclesia vero catholica et de Deo et de Salvatore nostro recta sentiens, nec in Trinitatis mysterio nec in Christi incarnatione blasphemat. Nam et unam divinitatem in Trinitatis plenitudine et Trinitatis aequalitatem in una atque eadem majestate veneratur, et unum Christum Jesum, non duos, eundemque Deum pariter atque hominem confitetur. Unam quidem in eo personam, sed duas substantias; duas substantias sed unam credit esse personam: duas substantias, quia mutabile non est Verbum Dei, ut ipsum verteretur in carnem: unam personam, ne duos profitendo filios, quaternitatem videatur colere, non Trinitatem. * Sed operae pretium est, ut id ipsum etiam atque etiam distinctius et expressius enucleemus. In Deo una sub-

---

* Caput XIX.

stantia, sed tres personae; in Christo duae substantiae, sed una persona. In Trinitate alius atque alius, non aliud atque aliud; in Salvatore aliud atque aliud, non alius atque alius. Quomodo in Trinitate alius atque alius, non aliud atque aliud? Quia scilicet alia est persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti; sed tamen Patris et Filii et Spiritus sancti non alia et alia sed una eademque natura. Quomodo in Salvatore aliud atque aliud, non alius atque alius? Quia videlicet altera substantia divinitatis, altera humanitatis; sed tamen deitas et humanitas non alter et alter, sed unus idemque Christus, unus idemque Filius Dei, et unius ejusdemque Christi et Filii Dei una eademque persona; sicut in homine aliud caro et aliud anima, sed unus idemque homo anima et caro[1]). In Petro et Paulo aliud anima, aliud

[1]) Paradigmate unionis animae et corporis libenter frequenterque utuntur patres ad illustrandam unionem Verbi cum humana natura assumpta, ut ex quamplurimis eorundem testimoniis constat, quae diligenter collegerunt Petavius, de incarn. l. 3. c. 10; l. 6. c. 10. et Thomassini, de incarn. l. 3. c. 8, 19. Verum eo utuntur seu potius abuntuntur ad suos confirmandos errores et ariani et apollinaristae et nestoriani et monophysitae et güntheriani. Secundum *arianos* quidem et *apollinaristas* similitudo est plane

caro; nec tamen duo Petri, caro et anima; aut alter Paulus anima et alter caro; sed

---

adaequata, cum, si illos audimus, Verbum in Christo vice fungatur vel animae vel animae saltem rationalis; *Nestorius* eo usus est (serm. 5. n. 5), ut declararet duas hypostases Verbi et hominis distinctas, inter se tamen inseparabiliter conjunctas; licet enim corpus non sit anima, et anima non sit corpus, illa tamen in hoc est. Cum vero ex unione animae et corporis una prodeat humana natura, hinc pluribus *Monophysitarum* apta visa est haec comparatio ad suum de una Christi natura errorem confirmandum. Recentior vero illa schola sicut errat in explicanda unione animae cum corpore, ita et in declaranda, quam ex hac illustrare vult, unione hypostatica. Negat enim unitatem substantialem humanae naturae compositae ex materia et forma, statuitque inter corpus vivens instructumque facultatibus psychicis ac spiritum seu animam rationalem conjunctionem dynamicam per mutuum influxum et mutuam actionem unius in alterum. Unionem omnino similem, proinde dynamicam, tuetur inter duas hypostases Deum Verbum et hominem Jesum. Quare ut assequamur, quo spectet haec comparatio, juverit paucis *similitudinis* juxta ac *dissimilitudinis* capita articulatius definire. Sicut nimirum 1) unio animae cum corpore non est moralis tantum et per affectum, sed substantialis et ontologica, ita et unio Verbi cum humana natura. „Nam licet Verbum, inquit Cyrillus al. ep. 17. ad Nestor. (al. 15.), in nobis habitarit omnemque divinitatis plenitudinem corporaliter in Christo inhabitare literis proditum sit (Col. 2, 9.), attamen non ita in illo habitavit, ut in sanctis inhabitare dicitur. Habitavit enim secundum naturam unitum (ἑνωθεὶς κατὰ

unus idemque Petrus, unus idemque Paulus, ex duplici diversaque subsistens animi cor-

φύσιν), non in carnem mutatum tali inhabitatione, qualem dici potest hominis animam erga sibi proprium corpus habere.“ Hinc 2) sicut hac unione corpus proprium redditur animae, ita Verbi propria facta est per unionem hypostaticam natura humana. „Alia est enim res divinitas, scribit Cyrillus ad Nest. l. 3. c. 6, alia nostrae similis humanitas, quod ad rationem attinet, quae naturis inest: congressu autem secundum veram unionem unus est ex utrisque Christus, ut saepe diximus; hypostasibus vere, ut tu ais, in duo divisis et seorsim ac privatim exsistere intellectis (νοουμένων ὑπάρχειν ἀνὰ μέρος τε καὶ ἰδικῶς), quomodo congressus in unam personam fiet, nisi unum alterius esse quodammodo proprium dicatur, ut nimirum humanae animae proprium intelligitur ejus corpus, quamvis diversae sit ab ea naturae.“ Cf. Schol. c. 8. Augustinus, tract. 19. in Joan. Ev. n. 15; Auctor dial. 65. qq. q. 5. (inter op. spuria Aug. Migne patrol. 40, 736.). Plerumque vero 3) hac similitudine illustrare conantur mysterium illud, quo Christus, licet sit Deushomo, unum tamen est subjectum, una persona, unus. Ita symbolum athanasianum: „Qui (Christus) licet Deus sit et homo, non duo tamen sed unus est Christus . . . . Unus omnino non confusione substantiae, sed unitate personae. Nam sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus.“ Ita hic Vincentius noster; Augustinus ep. 140. al. 120. n. 12; ep. 169. al. 102. n. 9. s. 130. n. 3; 174. n. 2; 186. n. 1; tr. 47. n. 12; tr. 78. n. 3; Vigilius l. 5. c. Eutychen, ubi haec habet: „Siquidem negari non potest, ut superius dixi, hominem ex duabus constare

porisque natura. Ita igitur in uno eodemque Christo duae substantiae sunt; sed una di-

---

naturis, animae scil. et carnis. Nemo tamen nisi insipiens et totius rationis expers, recte hominem dixerit duas habere personas, aut quia rursus una est hominis persona, recte opinatus sit unam esse carnis animaeque naturam . . . Quid ergo inauditum, quid a Scripturis canonicis alienum et peregrinum, ut sicut credimus et experimur unum esse hominem animam rationabilem et carnem, ita credamus unum esse Christum Deum et hominem, sicut apostoli docuerunt et sicut nobis viri apostolici tradiderunt?" Quibus 4) sicut et verbis Vincentii nostri quartam docemur smilitudinem. Sicuti enim in homine substantiae ontologice unitae non confunduntur, ita in Christo divina natura, quamquam ab humana non divisa, est tamen manetque ab illa sine confusione distincta. Ceterum 5) aliis omissis, ex unione animae cum corpore suadere nititur Augustinus incarnationis possibilitatem. „Quaerere quidam solent, inquit serm. 371. al. 52. de div., quomodo misceri potuit homo et Deus. Quaerunt rationem hujus mysterii, quod semel factum est, cum ipsi nequaquam possint rationem reddere ejus, quod fit semper i. e. quomodo anima miscetur corpori, ut homo fiat. Ergo sicut res corporea incorporeaque conjungitur, ut homo efficiatur, ita homo conjunctus est Deo et factus est Christus." Hisce similia habet in ep. 178. al. 3. n. 11. ita ad Volusianum scribens: „Sic autem quidam reddi sibi rationem flagitant, quomodo Deus homini permixtus sit, ut una fieret persona Christi, cum hoc semel fieri oportuerit; quasi rationem ipsi reddant de re, quae quotidie fit, quomodo misceatur

vina, altera humana; una ex Patre Deo, altera ex matre virgine; una coaeterna et ae-

---

anima corpori, ut una persona fiat hominis. Nam sicut in unitate personae anima unitur corpori, ut homo sit; ita in unitate personae Deus unitur homini, ut Christus sit etc." Sed licet multiplex *similitudinis* ratio sit inter unitionem humanae naturae cum Verbo et unitionem animae et corporis, non negligunt veteres nos monere, ut et multiplicis memores simus *dissimilitudinis*. Ita auctor fragmenti inter op. Athan. *de exemplo ex natura hominis allato* (Migne 26, 1233 ss.); auctor expos. rectae confessionis inter op. Justini n. 11; Anastasius sinaita in l. *Viae dux*; Theorianus in legat. armen. etc. et sane 1) anima et corpus ad mutuam unionem *natura* ordinantur, quod in Verbo relate ad carnem locum non habet. Hoc contra acephalos urget Joannes Maxentius sic scribens: „Si vero dixerint, sicut ex anima et carne una humana natura conficitur, quae singulari non plurali numero pronunciatur, ita ex divinitate et humanitate una facta est natura Christi. Primo quidem hoc exemplum Filio Dei minime existimo convenire, cui subsistendi causa caro non fuit. Quippe qui ante secula a Patre natus in propria persona incommutabiliter subsistit, sed cum Verbum caro fieret, misericordiae fuit. Animam autem humanam ante carnem alicubi subsistere et postmodum carni inseri, nemo ausus est affirmare (si scil. origenistas excipimus)." Hinc 2) anima et corpus se mutuo excipiunt tamquam verissimae partes unius compositae naturae. Sed a dignitate Verbi penitus abhorret ratio partis. „Illic quidem, ita auctor fragm. supra citati, pars hominis sunt anima et cor-

qualis Patri, altera ex tempore et minor Patre; una consubstantialis Patri, altera consub-

---

pus, hic vero neque caro pars Verbi neque Verbum pars carnis: nam utrumque etiam ante conjunctionem (scil. si seorsim considerentur et antequam concipiantur conjuncta) perfectam exhibet naturam, ut nihil penitus deficiat vel divinitati, quod ad sui rationem pertineat, vel humanitati: aliud quippe est compleri duabus partibus substantiam, aliud conjungi duas substantias, quarum utraque suam habeat perfectionem: quamobrem et forma Dei dicitur et forma servi. Quod hominem vero spectat, neque anima sola homo neque caro.“ Quibus 3) alia dissimilitudo significatur. Christus enim tam Deus est quam homo aut etiam Deus-homo. Homo vero neque est neque dicitur aut anima rationalis aut corpus. Ad rem Bernardus de consid. l. 5. c. 9: „Tantum denique tamque expressam unionis vim in se praefert ea persona, in qua Deus et homo unus est Christus, ut si duo illa de se invicem praedices, non erraveris, Deum videlicet hominem et hominem Deum vere catholiceque pronuncians. Non autem similiter vel carnem de anima vel animam de carne nisi absurdissime praedicas, etsi similiter anima et caro unus sit homo.“ *Quartam* dissimilitudinem proponit Facundus l. 1. pro def. trium capit. c. 6. „Potuit enim hominis anima in unam naturam cum sua carne componi. De Christi vero divinitate inconvertibiliter simplici non sine blasphemia dicitur, quod in unam naturam cum suscepta humanitate componi potuerit.“ Praeterea 5) „Anima nullatenus foris a corpore suo habet operationis principium. Deus autem Verbum et in humanitate existens, in coelo et ubique consuetas operationes implevit, licet quas-

stantialis matri; unus tamen idemque Christus in utraque substantia. Non ergo alter Christus Deus, alter homo; non alter increatus, alter creatus; non alter impassibilis, alter passibilis; non alter aequalis Patri, alter minor Patre; non alter ex Patre, alter ex matre; sed unus idemque Christus Deus et homo, idem non creatus et creatus, idem incommutabilis et impassibilis, idem commutatus et passus, idem Patri et aequalis et minor, idem ex Patre ante secula genitus, idem in seculo ex matre generatus, perfectus Deus, perfectus homo. In Deo summa divinitas, in homine plena humanitas. Plena, inquam, humanitas; quippe quae animam simul habeat et carnem, sed carnem veram, nostram, maternam, animam vero intellectu praeditam, mente ac ratione pollentem. Est ergo in Christo Verbum, anima, caro; sed hoc totum unus est Christus, unus Filius Dei et unus Salvator ac Redemptor noster. Unus autem, non corruptibili nescio qua divinitatis et humanitatis confusione, sed integra et singulari quadam unitate per-

---

dam et inaestimabiles per corpus," ita Rusticus l. c. acephalos, qui 6) et hanc dissimilitudinem ib. urget: „Rursus anima compatitur corpori, Deus autem Verbum nequaquam." Verum haec sufficiant de hac comparatione.

sonae. Neque enim illa conjunctio alterum in alterum convertit atque mutavit (qui est error proprius arianorum), sed ita in unum potius utrumque compegit, ut manente semper in Christo singularitate unius ejusdemque personae, in aeternum quoque permaneat proprietas uniuscujusque naturae; quo scilicet nec unquam Deus corpus esse incipiat, nec aliquando corpus, corpus esse desistat. Quod etiam humanae conditionis demonstratur exemplo. Neque enim in praesenti tantum, sed in futuro quoque, unusquisque hominum ex anima constabit et corpore, nec tamen unquam aut corpus in animam aut anima vertetur in corpus; sed unoquoque hominum sine fine victuro, in unoquoque hominum sine fine necessario utriusque substantiae differentia permanebit. Ita in Christo quoque utriusque substantiae sua cuique in aeternum proprietas, salva tamen personae unitate, retinenda est.

CAPUT XIV*.

Jesus Christus verus est homo, non simulatus.

Sed cum personam saepius nominamus, et dicimus quod Deus per personam homo factus sit, vehementer verendum est, ne hoc

* Caput XX.

dicere videamur, quod Deus Verbum sola imitatione actionis quae sunt nostra susceperit, et quidquid illud est conversationis humanae, quasi adumbratus, non quasi verus homo fecerit; sicut in theatris fieri solet, ubi unus plures effingit repente personas, quarum ipse nulla est. Quotiescunque etenim aliqua suscipitur imitatio actionis alienae, ita aliorum officia aut opera patrantur, ut tamen hi qui agunt, non sint ipsi quos agunt. Neque enim (ut, verbi gratia, secularium et manichaeorum[1]) utamur exemplis) cum actor tragicus sacerdotem effingit aut regem, sacerdos aut rex est. Nam desinente actu, simul et ea quam susceperat persona desistit. Absit hoc a nobis nefarium scelestumque ludibrium. Manichaeorum sit ista dementia; qui phantasiae praedicatores, ajunt Filium Dei Deum, personam hominis non substantia exstitisse, sed actu putativo quodam et conversatione simulasse. Catholica vero fides

---

1) *Et Manichaeorum.* Ego arbitror, inquit Baluzius ad h. l., haec esse superflua et addita fuisse a sciolo quodam, qui cum non intelligeret Vincentium putaretque eam comparationem sumi a manichaeis, quorum dementiam hanc esse paulo post dicit Vincentius, putavit nomen manichaeorum addendum esse huic parenthesi.

ita Verbum Dei hominem factum esse dicit, ut quae nostra sunt, non fallaciter et adumbrate, sed vere expresseque susciperet, et quae erant humana, non quasi aliena imitaretur, sed potius ut sua gereret, et prorsus quod agebat, hoc etiam esset (quod agebat, is esset). Sicut ipsi nos quoque in eo quod loquimur, sapimus, vivimus, subsistimus, non imitamur homines, sed sumus. Neque enim Petrus et Joannes, ut eos potissimum nominem, imitando erant homines, sed subsistendo. Neque item Paulus simulabat apostolum, aut fingebat Paulum; sed erat apostolus, et subsistebat Paulus. Ita etiam Deus Verbum assumendo et habendo carnem, loquendo, faciendo, patiendo per carnem, sine ulla tamen suae corruptione naturae, hoc omnino praestare dignatus est, ut hominem perfectum non imitaretur aut fingeret, sed exhiberet, ut homo verus non videretur aut putaretur, sed esset atque subsisteret. Igitur sicut anima connexa carni, nec in carnem tamen versa, non imitatur hominem, sed est homo, et homo non per simulationem, sed per substantiam, ita etiam Verbum Deus, absque ulla sui conversione, uniendo se homini, non confundendo, non imitando factus est homo, sed subsistendo. Abjiciatur ergo

tota penitus personae illius intelligentia, quae fingendo imitatione suscipitur, ubi semper aliud est et aliud simulatur, ubi ille qui agit, nunquam is est quem agit. Absit etenim ut hoc fallaci modo Deus Verbum personam hominis suscepisse credatur; sed ita potius ut incommutabli sua manente substantia, et in se perfecti hominis suscipiendo naturam, ipse caro, ipse homo, ipse persona hominis exsisteret, non simulatoria, sed vera, non imitativa, sed substantiva, non denique quae cum actione desisteret, sed quae prorsus in substantia permaneret.

CAPUT XV.

Unitio Verbi cum natura humana facta est in ipsa virginali conceptione, quare b. V. Maria verissime Dei genitrix credi debet.

Haec igitur in Christo personae unitas nequaquam post virginis partum, sed in ipso virginis utero compacta atque perfecta est. * Vehementer enim praecavere debemus, ut Christum non modo unum sed etiam semper unum confiteamur: quia intoleranda blasphemia est, ut etiamsi nunc eum unum esse concedas, aliquando tamen non unum sed duos

* Caput XXI.

fuisse contendas, unum scilicet post tempus baptismatis, duos vero sub tempore nativitatis. Quod immensum sacrilegium non aliter profecto vitare poterimus, nisi unitum hominem Deo, sed unitate personae, non ab ascensu vel resurrectione vel baptismo, sed jam in matre, jam in utero, jam denique in ipsa virginali conceptione fateamur: propter quam personae unitatem indifferenter atque promiscue et quae Dei sunt propria tribuuntur homini, et quae carnis propria adscribuntur Deo. Inde est enim quod divinitus scriptum est et filium hominis descendisse de coelo et Dominum majestatis crucifixum in terra. Inde etiam est, ut carne Domini facta, carne Domini creata, ipsum Verbum Dei factum, ipsa Sapientia Dei impleta scientia creata dicatur; sicut in praescientia manus ipsius et pedes ejus fossi esse referuntur (Ps. 21, 17). Per hanc, inquam, personae unitatem illud quoque similis mysterii ratione perfectum est, ut carne Verbi ex integra matre nascente, ipse Deus Verbum natus ex virgine catholicissime credatur, impiissime denegetur. Quae cum ita sint, absit ut quisquam sanctam Mariam divinae gratiae privilegiis et speciali gloria fraudare conetur. Est enim singulari quodam Domini ac Dei nostri, Filii

autem sui, munere verissime ac beatissime *theotocos* confitenda; sed non eo modo *theotocos*, quo impia quaedam haeresis suspicatur, quae asserit eam Dei matrem sola appellatione dicendam, quod eum scilicet pepererit hominem, qui postea factus est Deus; sicut dicimus presbyteri matrem, aut episcopi matrem, non jam presbyterum aut episcopum pariendo, sed eum generando hominem, qui postea presbyter vel episcopus factus est. Non ita, inquam, sancta Maria *theotocos*, sed ideo potius quoniam, ut supra dictum est, jam in ejus sacrato utero sacrosanctum illud mysterium perpetratum est, quod propter singularem quandam atque unicam personae, unitatem, sicut Verbum in carne caro, ita homo in Deo, Deus est.

CAPUT XVI*.

Recapitulatio eorum, quae supra de fide catholica et diversis haeresibus dicta sunt.

Sed jam ea, quae supra de memoratis haeresibus vel de catholica fide breviter dicta sunt, renovandae causa memoriae brevius strictiusque repetamus; quo scilicet et intelligantur iterata plenius, et firmius inculcata

* Caput XXII.

teneantur. Anathema igitur Photino non recipienti plenitudinem Trinitatis et Christum hominem tantummodo solitarium praedicanti. Anathema Apollinari asserenti in Christo conversae divinitatis corruptionem, et auferenti perfectae humanitatis proprietatem. Anathema Nestorio neganti ex virgine Deum natum, asserenti duos Christos, et explosa Trinitatis fide quaternitatem nobis introducenti. Beata vero catholica Ecclesia, quae unum Deum in Trinitatis plenitudine et item Trinitatis aequalitatem in una divinitate veneratur; ut neque singularitas substantiae personarum confundat proprietatem, neque item Trinitatis distinctio unitatem separet deitatis. Beata, inquam, Ecclesia, quae in Christo duas veras perfectasque substantias, sed unam Christi credit esse personam; ut neque naturarum distinctio unitatem personae dividat, neque item personae unitas differentiam confundat substantiarum. Beata, inquam, Ecclesia, quae ut unum semper Christum et esse et fuisse fateatur, unitum hominem Deo, non post partum, sed jam in ipso matris utero confitetur. Beata, inquam, Ecclesia, quae Deum factum hominem non conversione naturae, sed personae ratione intelligit, personae autem non simulatoriae et transeuntis, sed sub-

stantivae ac permanentis. Beata, inquam, Ecclesia, quae hanc personae unitatem tantam vim habere praedicat, ut propter eam miro ineffabilique mysterio et divina homini et Deo adscribat humana. Nam propter eam et hominem de coelo secundum Deum descendisse non abnegat, et Deum secundum hominem credit in terra factum, passum et crucifixum. Propter eam denique et hominem Dei Filium et Deum filium virginis confitetur. Beata igitur ac veneranda, benedicta et sacrosancta, et omnino supernae illi angelorum laudationi comparanda confessio, quae unum Dominum Deum trina sanctificatione glorificat. Idcirco etenim vel maxime unitatem Christi praedicat, ne mysterium Trinitatis excedat. Haec in excursu dicta sint, alias, si Deo placuerit, uberius tractanda et explicanda[1]). Nunc ad propositum redeamus.

[1]) Censet Antelmius in sua *nova de symbolo athanasiano disquisitione* Vincentium suis stetisse promissis ac fidei expositionem composuisse de mysteriis ss. Trinitatis et incarnationis, eamque aliam non esse a symbolo s. Athanasii nomine insignito. Et revera negari nequit inter modum loquendi exponendique haec mysteria, quo Vincentius noster utitur praesertim c. 13, et eum, qui in hoc symbolo occurrit, similitudinem quandam exsistere, sed haec sola similitudo non videtur sufficere, ut hoc celebre symbolum Vincentio adscribatur.

CAPUT XVII*.

Quod error Origenis magna fuerit Ecclesiae tentatio.

Dicebamus ergo in superioribus quod in Ecclesia Dei tentatio esset populi, error magistri, et tanto major tentatio quanto ipse esset doctior qui erraret. Quod primum Scripturae auctoritate, deinde ecclesiasticis docebamus exemplis, eorum scilicet commemoratione, qui cum aliquandiu sanae fidei forent habiti, ad extremum tamen aut in alienam decidissent sectam, aut ipsi suam haeresim condidissent. Magna profecto res et ad discendum utilis, et ad recolendum necessaria; quam etiam atque etiam exemplorum molibus illustrare atque inculcare debemus, ut omnes vere catholici noverint se cum Ecclesia doctores recipere, non cum doctoribus Ecclesiae fidem deserere debere. Sed ego ita arbitror, quod cum multos in hoc tentandi genere proferre valeamus, nemo pene sit qui Origenis tentationi valeat comparari: in quo plura adeo praeclara, adeo singularia, adeo mira exstiterunt, ut inter initia habendam cunctis assertionibus ejus fidem quivis

* Caput XXIII.

ille facile judicaret. Nam si vita facit auctoritatem, magna illi industria, magna pudicitia, patientia, tolerantia. Si genus vel eruditio: quid eo nobilius, qui primum in ea domo natus est, quae est illustrata martyrio[1]); deinde pro Christo non solum patre sed omni quoque facultate privatus, tantum inter sanctae paupertatis profecit angustias, ut pro nomine dominicae confessionis saepius, ut ferunt, affligeretur. Neque vero haec in illo sola erant quae cuncta postea tentationi forent, sed tanta etiam vis ingenii, tam profundi, tam acris, tam elegantis, ut omnes pene multum longeque superaret; tanta doctrinae ac totius eruditionis magnificentia, ut pauca forent divinae, pene fortasse nulla humanae philosophiae, quae non penitus assequeretur: cujus scientiae quum graeca concederent, hebraea quoque elaborata sunt. Eloquentiam vero quid memorem, cujus fuit tam amoena, tam lactea, tam dulcis oratio, ut mihi ex ore ipsius non tam verba quam mella quaedam fluxisse videantur? Quae non ille persuasu difficilia disputandi viribus

---

[1]) *Illustrata martyrio.* Filius enim fuit Leonidis, qui ob Christi nomen sub Severo principe poenam capitis subiit.

elimpidavit, quae factu ardua non ut facillima viderentur effecit? Sed forsitan argumentorum tantummodo nexibus assertiones suas texuit? Imo plane nemo unquam magistrorum fuit, qui pluribus divinae legis uteretur exemplis. Sed, credo, pauca conscripsit? Nemo mortalium plura; ut mihi sua omnia non solum non perlegi, sed ne inveniri quidem posse videantur: cui ne quidquam ad scientiae instrumenta deesset, etiam plenitudo exabundavit aetatis. Sed forsitan discipulis parum felix? Quis unquam felicior? Nempe innumeri ex sinu suo doctores, innumeri sacerdotes, confessores et martyres exstiterunt. Jam vero quanta apud omnes illius admiratio, quanta gloria, quanta gratia fuerit, quis exsequi valeat? Quis non ad eum paulo religiosior ex ultimis mundi partibus advolavit? Quis christianorum non pene ut prophetam, quis philosophorum non ut magistrum veneratus est? Quam autem non solum privatae conditioni, sed ipsi quoque fuerit reverendus imperio, declarant historiae, quae eum a matre Alexandri imperatoris accitum ferunt, coelestis utique sapientiae merito, cujus et ille gratia et amore illa flagrabat. Sed et ejusdem epistolae testimonium perhibent quas ad Phi-

lippum imperatorem, qui primus romanorum principum christianus fuit[1]), christiani ma-

---

[1]) *Christianus fuit.* Eusebius caesariensis in chronico ab Hieronymo aucto ad a. Chr. 247. haec habet: „Romanorum XXIII. Philippus regnavit annis 7. Philippus Philippum filium suum consortem regni facit, primusque omnium ex romanis imperatoribus christianus fuit.“ Et ad a. 254. ait a Decio fuisse illos interfectos ob odium in christianam religionem. Eusebio concinit Orosius l. 7. hist. c. 20. aliique, quorum testimonia praeterire libet. In actis s. Pontii M. a. Baluzio ex vetustis codd. editis fertur, a sancto hoc viro fuisse ad fidem conversos. At Pagius longa dissert. probat, fabulosa esse omnia, quae de Philippis christianam religionem amplexis feruntur, nixus testimoniis Ambrosii, Sulpicii aliorumque dicentium Constantinum fuisse primum imperatorem christianum: ac ex nummis, in quibus certa Philipporum gentilitatis signa deprehenduntur. Petavius t. 2. de doctr. temp. l. 11. c. 2?. post Baronium ex Zonara observat, quosdam nominis similitudine deceptos, ad Philippum imperatorem accommodasse quae Philippo Aegypti augustali conveniunt; quod asserit praesertim de epist. Origenis. Huetius l. 1. Origen. c. 2. n. 12. ait, occulte a Fabiano fuisse initiatum Philippum Antiochiae sub Babyla, et ideo celebratum a catholicis id fuit, non reprehensum a gentilibus, quia eos latuit. Suspicor amplexum fuisse Philippum christianam religionem, quod ei exprobrant nonnulli, quasi sic tegere posset crimina. Hoc testantur praeter supra laudatos Leontius antiochenus, Chrysostomus et auctor chronici alexandrini; sed non plene, hinc multa,

gisterii auctoritate conscripsit. De cujus incredibili quadam scientia si quis referentibus nobis christianum non accipit testimonium, saltem testificantibus philosophis gentilem recipiat confessionem. Ait namque impius ille Porphyrius excitum se fama ipsius Alexandriam puerum fere perrexisse, ibique eum vidisse jam senem, sed plane talem tantumque qui arcem totius scientiae condidisset. Dies me citius defecerit quam ea, quae in illo viro praeclara exstiterunt, vel ex minima saltem parte perstringam: quae tamen omnia non solum ad religionis gloriam, sed etiam ad tentationis magnitudinem pertinebant. Quotus enim quisque tanti ingenii, tantae doctrinae, tantae gratiae virum aut facile deponeret, ac non illa potius uteretur sententia, se cum Origene errare malle, quam cum aliis vera sentire? Et quid plura? Eo res decidit ut tantae personae, tanti doctoris, tanti prophetae, non humana aliqua, sed, ut exitus docuit, nimium periculosa tentatio plurimos a fidei integritate deduceret. Quamobrem hic Origenes tantus ac talis, dum

---

quae gentilitatis erant retinuit, nec fidem in posteros imperatores transfudit. Quae suspicio multis firmari posset monumentis. Ita Salinas in h. l.

gratia Dei insolentius abutitur, dum ingenio suo nimium indulget, sibique satis credit, cum parvi pendit antiquam christianae religionis simplicitatem, dum se plus cunctis sapere praesumit, dum ecclesiasticas traditiones et veterum magisteria contemnens, qnaedam Scripturarum capitula novo more interpretatur, meruit ut de se quoque Ecclesiae Dei diceretur: *Si surrexerit in medio tui propheta*: et paulo post: *non audies*, inquit, *verba prophetae illius*. Et item: *Quia tentat vos*, inquit, *Dominus Deus vester, utrum diligatis eum an non* (Deut. 13, 1). Vere non solum tentatio, sed etiam magna tentatio, deditam sibi atque in se pendentem Ecclesiam admiratione ingenii, scientiae, eloquentiae, conversationis et gratiae, nihil de se suspicantem, nihil verentem, subito a veteri religione in novam profanitatem sensim paulatimque traducere. Sed dicet aliquis corruptos esse Origenis libros. Non resisto, quin potius et malo. Nam id a quibusdam et traditum et scriptum est, non catholicis tantum, verum etiam haereticis. Sed illud est quod nunc debemus advertere, etsi non ipsum, libros tamen sub nomine suo editos, magnae esse tentationi: qui multis blasphemiarum vulneribus scatentes, non ut alieni,

sed quasi sui et leguntur et amantur; ut etsi in errore concipiendo Origenis non fuit sensus, ad errorem tamen persuadendum Origenis auctoritas valere videatur.

CAPUT XVIII*.

Quod et Tertullianus magna fuerit Ecclesiae tentatio.

Sed et Tertulliani quoque eadem ratio est. Nam sicut ille apud graecos, ita hic apud latinos nostrorum omnium facile princeps judicandus est. Quid enim hoc viro doctius, quid in divinis atque humanis rebus exercitatius? Nempe omnem philosophiam et cunctas philosophorum sectas, auctores assertoresque sectarum, omnesque eorum disciplinas, omnem historiarum ac studiorum varietatem mira quadam mentis capacitate complexus est. Ingenio vero nonne tam gravi ac vehementi excelluit, ut sibi nihil pene ad expugnandum proposuerit, quod non aut acumine irruperit aut pondere eliserit? Jam porro orationis suae laudes quis exsequi valeat, quae tanta nescio qua rationum necessitate conserta est, ut ad consensum sui quos suadere non potuerit impellat; cujus quot

* Caput XXIV.

pene verba, tot sententiae sunt: quot sensus, tot victoriae. Sciunt hoc Marciones, Apelles, Praxeae, Hermogenes, judaei, gentiles, gnostici, ceterique; quorum ille blasphemias multis ac magnis voluminum suorum molibus, velut quibusdam fulminibus, evertit. Et tamen hic quoque post haec omnia, hic inquam Tertullianus, catholici dogmatis, id est, universalis ac vetustae fidei parum tenax, ac disertior multo quam felicior, mutata deinceps sententia fecit ad extremum quod de eo beatus confessor Hilarius quodam loco scribit: „Sequenti, inquit, errore detraxit scriptis probabilibus auctoritatem (in Matth. c. 5).“ Et fuit ipse quoque in Ecclesia magna tentatio. Sed de hoc nolo plura dicere. Hoc tantum commemorabo, quod contra Moysi praeceptum exsurgentes in Ecclesia novellas Montani furias et insana illa insanarum mulierum novitii dogmatis somnia veras prophetias asseverando, meruit ut de se quoque et scripturis suis diceretur: *Si surrexerit in medio tui propheta.* Et mox: *non audies verba prophetae illius.* Quare? *Quia*, inquit, *tentat vos Dominus Deus vester, utrum diligatis eum an non.*

CAPUT XIX.

Quid ex his exemplis discere debeamus.

His igitur tot ac tantis ceterisque ejusmodi ecclesiasticorum exemplorum molibus evidenter advertere et secundum Deuteronomii leges luce clarius intelligere debemus, quod si quando aliquis ecclesiasticus magister a fide aberraverit, ad tentationem id nostram fieri providentia divina patiatur, utrum diligamus Deum an non in toto corde et in tota anima nostra.

CAPUT XX*.

Quis sit verus catholicus, et quod orta haeretica novitate statim cernatur frumenti gravitas et paleae levitas.

Quae cum ita sint, ille est verus et germanus catholicus, qui veritatem Dei, qui Ecclesiam, qui Christi corpus diligit, qui divinae religioni, qui catholicae fidei nihil praeponit, non hominis cujuspiam auctoritatem, non amorem, non ingenium, non eloquentiam, non philosophiam, sed haec cuncta despiciens, et in fide fixus stabilis permanens, quidquid universaliter antiquitus Ecclesiam catholicam tenuisse cognoverit, id solum sibi tenendum credendumque decernit; quidquid vero ab aliquo deinceps uno praeter omnes vel contra

* Caput XXV.

omnes sanctos novum et inauditum subinduci senserit, id non ad religionem sed ad tentationem potius intelligit pertinere, tum praecipue beati apostoli Pauli eruditus eloquiis. Hoc est enim quod in prima ad Corinthios epistola scribit: *Oportet*, inquit, *et haereses esse, ut probati manifesti fiant in vobis* (1. Cor. 11, 19.): ac si diceret: Ob hoc haereseon non statim divinitus eradicantur auctores, ut probati manifesti fiant, id est, ut unusquisque quam tenax et fidelis et fixus catholicae fidei sit amator appareat. Et revera cum quaeque novitas ebullit, statim cernitur frumentorum gravitas et levitas palearum; tunc sine magno molimine excutitur ab area quod nullo pondere intra aream tenebatur. Namque alii illico prorsus avolant; alii vero tantummodo excussi, et perire metuunt, et redire erubescunt saucii, semineces ac semivivi; quippe qui tantam veneni hauserint quantitatem, quae nec occidat nec digeratur, nec mori cogat nec vivere sinat. Heu miseranda conditio! quantis illi curarum aestibus, quantis turbinibus exagitantur? Nunc etenim, qua ventus impulerit, incitato errore rapiuntur; nunc in semetipsos reversi, tamquam contrarii fluctus, reliduntur; nunc temeraria praesumptione et ea quae incerta

videntur approbant; nunc irrationali metu, etiam quae certa sunt expavescunt, incerti qua eant, qua redeant, quid appetant, quid fugiant, quid teneant, quid dimittant. Quae quidem dubii et male penduli cordis afflictio divinae erga se miserationis est medicina, si sapiant. Idcirco etenim extra tutissimum catholicae fidei portum diversis cogitationum quatiuntur, verberantur ac pene enecantur procellis, ut excussa in altum elatae mentis vela deponant, quae male novitatum ventis expanderant, seseque intra fidissimam stationem placidae ac bonae matris reducant et teneant, atque amaros illos turbulentosque errorum fluctus primitus revomant, ut possint deinceps vivae et salientis aquae fluenta potare. Dediscant bene quod didicerant non bene; et ex toto Ecclesiae dogmate, quod intellectu capi potest, capiant; quod non potest, credant.

CAPUT XXI*.

Exponuntur verba Pauli (1. Tim. 6, 20.): *O Timothee, depositum custodi.*

Quae cum ita sint, iterum atque iterum eadem mecum revolvens et reputans, mirari

* Caput XXVI.

satis nequeo tantam quorundam hominum vesaniam, tantam excoecatae mentis impietatem, tantam postremo errandi libidinem, ut contenti non sint tradita semel et accepta antiquitus credendi regula, sed nova ac nova in diem quaerant semperque aliquid gestiant religioni addere, mutare, detrahere; quasi non coeleste dogma sit, quod semel revelatum esse sufficiat, sed terrena institutio, quae aliter perfici nisi assidua emendatione, imo potius reprehensione non possit, cum divina clament oracula: *Ne transferas terminos, quos posuerunt patres tui* (Prov. 22, 28); et: *Super judicantem ne judices* (Eccli. 8, 17). et: *Scindentem sepem mordebit eum serpens* (Eccle. 10, 8); et illud apostolicum, quo omnes omnium haereseon sceleratae novitates velut quodam spiritali gladio saepe truncatae semperque truncandae sunt: *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates et oppositiones falsi nominis scientiae, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt* (1. Tim. 6, 20 s.). Et post haec inveniuntur aliqui tanta inveteratae frontis duritia, tanta impudentiae incude, tanto adamante pertinaciae, qui tantis eloquiorum coelestium molibus non succumbant, tantis ponderibus non fatiscant, tantis mal-

leis non conquassentur, tantis postremo fulminibus non conterantur? *Devita*, inquit, *profanas vocum novitates.* Non dixit *antiquitates*, non dixit *vetustates*; imo plane quid e contrario sequeretur ostendit. Nam si vitanda est novitas, tenenda est antiquitas; et si profana est novitas, sacrata est vetustas: *et oppositiones*, inquit, *falsi nominis scientiae.* Vere falsum nomen apud doctrinas haereticorum; ut ignorantia scientiae, et caligo serenitatis, et tenebrae luminis appellatione fucentur: *quam quidam*, inquit, *promittentes, circa fidem exciderunt.* Quid promittentes exciderunt, nisi novam nescio quam ignoratamque doctrinam? Audias etenim quosdam ipsorum dicere: Venite, o insipientes et miseri, qui vulgo catholici vocitamini, et discite fidem veram, quam praeter nos nullus intelligit, quae multis ante seculis latuit, nuper vero revelata et ostensa est: sed discite furtim atque secretim; delectabit enim vos. Et item: Cum didiceritis, latenter docete; ne mundus audiat, nec Ecclesia sciat. Paucis namque concessum est tanti mysterii capere secretum. Nonne haec verba sunt illius meretricis, quae apud Salomonis proverbia vocat ad se praetereuntes viam, qui dirigunt iter suum? *Qui est,*

inquit, *vestrum insipientissimus, divertat ad me.* Inopes autem sensu exhortatur dicens: *Panes occultos libenter attingite, et aquam dulcem furtim bibite.* Quid deinde? *At ille*, inquit, *nescit quoniam terrigenae apud eam pereunt* (Prov. 9, 16 ss.). Qui sunt isti terrigenae? Exponat Apostolus: *Qui circa fidem*, inquit, *exciderunt.*

CAPUT XXII*.

Singula verba Pauli 1. Tim. 6, 20. exponuntur.

Sed operae pretium est totum ipsum Apostoli capitulum diligentius pertractare. *O Timothee*, inquit, *depositum custodi, devitans profanas vocum novitates. O*! Exclamatio ista et praescientiae est pariter et caritatis. Praevidebat enim futuros, quos etiam praedolebat, errores. Quis est hodie *Timotheus*, nisi vel generaliter universa Ecclesia, vel specialiter totum corpus praepositorum, qui integram divini cultus scientiam vel habere ipsi debent vel aliis infundere? Quid est, *depositum custodi? Custodi*, inquit, propter fures, propter inimicos, ne, dormientibus hominibus, superseminent zizania

* Caput XXVII.

super illud tritici bonum semen, quod seminaverat filius hominis in agro suo. *Depositum*, inquit, *custodi.* Quid est *depositum*? id est, quod tibi creditum est, non quod a te inventum; quod accepisti, non quod excogitasti; rem non ingenii, sed doctrinae; non usurpationis privatae, sed publicae traditionis; rem ad te perductam, non a te prolatam; in qua non auctor debes esse, sed custos; non institutor, sed sectator; non ducens, sed sequens. *Depositum*, inquit, *custodi;* catholicae fidei talentum inviolatum illibatumque conserva. Quod tibi creditum, hoc penes te maneat, hoc a te tradatur. Aurum accepisti, aurum redde: nolo mihi pro aliis alia subjicias: nolo pro auro aut impudenter plumbum aut fraudulenter aeramenta supponas: nolo auri speciem, sed naturam plane. O Timothee, o sacerdos, o tractator, o doctor, si te divinum munus idoneum fecerit, ingenio, exercitatione, doctrina, esto spiritalis tabernaculi Beseleel (Ex. 31, 2 ss.), pretiosas divini dogmatis gemmas exsculpe, fideliter coapta, adorna sapienter, adjice splendorem, gratiam, venustatem. Intelligatur te exponente illustrius quod ante obscurius credebatur. Per te posteritas intellectum gratuletur quod ante vetustas non intellectum

venerabatur. Eadem tamen quae didicisti doce: ut cum dicas nove, non dicas nova.

CAPUT XXIII*.

De profectu religionis qui habetur in Ecclesia.

Sed forsitan dicit aliquis: Nullusne ergo in Ecclesia Christi profectus habebitur religionis? Habeatur plane, et maximus. Nam quis ille est tam invidus hominibus, tam exosus Deo, qui istud prohibere conetur? Sed ita tamen ut vere profectus sit ille fidei, non permutatio. Siquidem ad profectum pertinet, ut in semetipsum unaquaeque res amplificetur; ad permutationem vero, ut aliquid ex alio in aliud transvertatur. Crescat igitur oportet et multum vehementerque proficiat tam singulorum quam omnium, tam unius hominis quam totius Ecclesiae, aetatum ac seculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia, sed in suo duntaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia. ** Imitetur animarum religio rationem corporum: quae licet annorum processu numeros suos evolvant et explicent, eadem tamen quae erant permanent. Multum

* Caput XXVIII. ** Caput XXIX.

interest inter pueritiae florem et senectutis maturitatem; sed iidem tamen ipsi fiunt senes qui fuerant adolescentes; ut quamvis unius ejusdemque hominis status habitusque mutetur, una tamen nihilominus eademque natura, una eademque persona sit. Parva lactentium membra, magna juvenum; eadem ipsa sunt tamen. Quot parvulorum artus, tot virorum; et si qua illa sunt quae aevi maturioris aetate pariuntur, jam in seminis ratione proserta sunt; ut nihil novum postea proferatur in senibus, quod non in pueris jam ante latitaverit. Unde non dubium est hanc esse legitimam et rectam proficiendi regulam, hunc ratum atque pulcherrimum crescendi ordinem, si eas semper in grandioribus partes ac formas numerus detexat aetatis, quas in parvulis creatoris sapientia praeformaverat. Quod si humana species in aliquam deinceps non sui generis vertatur effigiem, aut certe addatur quidpiam membrorum numero vel detrahatur, necesse est ut totum corpus vel intercidat, vel prodigiosum fiat, vel certe debilitetur, ita etiam christianae religionis dogma sequatur has decet profectuum leges, ut annis scilicet consolidetur, dilatetur tempore, sublimetur aetate, incorruptum tamen illibatumque permaneat, et

universis partium suarum mensuris cunctisque quasi membris ac sensibus propriis plenum atque perfectum sit, quod nihil praeterea permutationis admittat, nulla proprietatis dispendia, nullam definitionis sustineat varietatem. *) Exempli gratia. Severunt majores nostri antiquitus in hac ecclesiastica segete triticeae fidei semina. Iniquum valde et incongruum est, ut nos eorum posteri pro germana veritate frumenti subdititium zizaniae legamus errorem. Quin potius hoc rectum et consequens est, ut primis atque extremis sibimet non discrepantibus, de incrementis triticeae institutionis triticei quoque dogmatis frugem demetamus; ut cum aliquid ex illis seminum primordiis accessu temporis evolvatur, et nunc laetetur et excolatur, nihil tamen de germinis proprietate mutetur: addatur licet species, forma, distinctio, eadem tamen cujusque generis natura permaneat. Absit etenim ut rosea illa catholici sensus plantaria in carduos spinasque vertantur. Absit, inquam, ut in isto spiritali paradiso de cinnamomi et balsami surculis lolium repente atque aconita proveniant. Quodcunque igitur in hac Ecclesiae Dei agricul-

---

* Caput XXX.

tura fide patrum satum est, hoc idem filiorum industria decet excolatur et observetur, hoc idem floreat et maturescat, hoc idem proficiat et perficiatur. Fas est etenim ut prisca illa coelestis philosophiae dogmata processu temporis excurentur, limentur, poliantur; sed nefas est ut commutentur, nefas ut detruncentur, ut mutilentur. Accipiant licet evidentiam, lucem, distinctionem; sed retineant necesse est plenitudinem, integritatem, proprietatem. * Nam si semel admissa fuerit haec impiae fraudis licentia, horreo dicere quantum exscindendae atque abolendae religionis periculum consequatur. Abdicata etenim qualibet parte catholici dogmatis, alia quoque atque item alia, ac deinceps alia et alia, jam quasi ex more et licito, abdicabuntur. Porro autem singillatim partibus repudiatis, quid aliud ad extremum sequetur, nisi ut totum pariter repudietur? Sed e contra, si novitia veteribus, extranea domesticis, et profana sacratis admisceri coeperint, proserpat hic mos in universum necesse est, ut nihil posthac apud Ecclesiam relinquatur intactum, nihil illibatum, nihil integrum, nihil immaculatum, sed sit ibidem

* Caput XXXI.

deinceps impiorum ac turpium errorum lupanar, ubi erat antea castae et incorruptae sacrarium veritatis. Sed avertat hoc a suorum mentibus nefas divina pietas, sitque hic potius impiorum furor. * Christi vero Ecclesia, sedula et cauta depositorum apud se dogmatum custos, nihil in his unquam permutat, nihil minuit, nihil addit, non amputat necessaria, non apponit superflua, non amittit sua, non usurpat aliena, sed omni industria hoc unum studet, ut vetera fideliter sapienterque tractando, si qua sunt illa antiquitus informata et inchoata, accuret et poliat; si qua jam expressa et enucleata, consolidet, firmet; si qua jam confirmata et definita, custodiat. Denique quid unquam aliud conciliorum decretis enisa est, nisi ut quod antea simpliciter credebatur, hoc idem postea diligentius crederetur; quod antea lentius praedicabatur, hoc idem postea instantius praedicaretur; quod antea securius colebatur, hoc idem postea sollicitius excoleretur? Hoc inquam semper, neque quidquam praeterea, haereticorum novitatibus excitata[1]), conciliorum suorum decretis ca-

* **Caput** XXXII.

[1]) „Neque Deus omnipotens, inquit Augustinus Enchir. c. 11, cui rerum summa est potestas, cum

tholica perfecit Ecclesia, nisi ut quod prius a majoribus sola traditione susceperat, hoc

---

summe bonus sit, ullo modo sineret mali aliquid esse in opere suo, nisi usque adeo esset omnipotens et bonus, ut bene faceret etiam de malo." Jam vero si quaeritur quod sit illud bonum, quod Deus ex haeresibus, quas permittit, eliciat, passim respondent patres cum Vincentio nostro illud esse lucidiorem fidei catholicae expositionem. Ita in primis Augustinus et quidem quam saepissime, ut de civitate Dei l. 16. c. 2. n. 1.: „Multa quippe ad fidem catholicam pertinentia, dum haereticorum callida inquietudine exagitantur, ut adversus eos defendi possint, et considerantur diligentius et intelliguntur clarius et instantius praedicantur: et ab adversario mota quaestio, discendi exsistit occasio." Enarr. in Ps. 54. n. 22: „Ex haereticis asserta est catholica (Ecclesia), et ex his qui male sentiunt probati sunt qui bene sentiunt. Multa enim latebant in Scripturis, et cum praecise essent haeretici, quaestionibus agitaverunt Ecclesiam Dei. Aperta sunt quae latebant, et intellecta est voluntas Dei . . . . Multi qui optime possent Scripturas dignoscere et pertractare, latebant in populo Dei, nec asserebant solutionem quaestionum difficilium, cum calumniator nullus instaret. Numquid enim perfecte de Trinitate tractatum est, antequam oblatrarent ariani? numquid perfecte de poenitentia tractatum est, antequam obsisterent novatiani? Sic non perfecte de baptismo tractatum est, antequam contradicerent foris rebaptizatores; nec de ipsa unitate Christi enucleate dicta erant, quae dicta sunt, nisi postea quam separatio illa urgere coepit fratres infirmos, ut jam illi, qui noverant haec tractare at-

deinde posteris etiam per scripturae chirographum consignaret, magnam rerum sum-

---

que dissolvere, ne perirent infirmi, sollicitati quaestionibus impiorum sermonibus et disputationibus suis obscura legis in publicum deducerent.“ Quibus plane gemina habet Enarr. in Ps. 67. n. 39; de catechiz. rud. n. 44. (opusc. t. 8.); de civit. Dei l. 18. c. 51; de dono persev. n. 53; serm. 51. al. 63. de div. n. 11; denique l. 1. de Genesi c. manich. l. 1. c. 1. n. 2: „Ideo divina providentia multos diversi erroris haereticos esse permittit, ut cum insultant nobis, et interrogant nos ea, quae nescimus, vel sic excutiamus pigritiam et divinas Scripturas nosse cupiamus. Propterea et Apostolus dicit: *Oportet haereses esse, ut probati manifesti fiant inter vos* (1. Cor. 11, 19). Illi enim Deo probati sunt, qui bene possunt docere: sed manifesti hominibus esse non possunt, nisi cum docent; docere autem nolunt nisi eos, qui doceri quaerunt. Sed multi ad quaerendum pigri sunt, nisi per molestias et insultationes haereticorum quasi de somno excitentur et de imperitia sua erubescant sibi, et de illa imperitia sua periclitati se sentiant. Qui homines si bonae sunt fidei non cedunt haereticis, sed quid eis respondeant diligenter inquirunt.“ His similia tradit Origenes h. 9. in Num. scribens: „Si doctrina ecclesiastica simplex esset, et nullis intrinsecus haereticorum dogmatum assertionibus cingeretur, non poterat tam clara et tam examinata videri fides nostra. Sed idcirco doctrinam catholicam contradicentium obsidet oppugnatio, ut fides nostra non otio torpescat sed exercitiis elimetur. Propter hoc denique et Apostolus dicebat: *Oportet autem et haereses esse, ut probati*

mam paucis literis comprehendendo, et plerumque, propter intelligentiae lucem, non novum fidei sensum novae appellationis proprietate signando.

CAPUT XXIV*.

Prosequitur auctor Apostoli verba 1. Tim. 6, 20. exponere.

Sed ad Apostolum redeamus. *O Timothee*, inquit, *depositum custodi, devitans profanas vocum novitates. Devita*, inquit, quasi viperam, quasi scorpionem, quasi basiliscum, ne te non solum tactu sed etiam visu afflatuque percutiant. Quid est devitare? cum hujusmodi nec cibum sumere (1. Cor. 5, 11). Quid est *de*

---

quique manifesti fiant inter vos. Hoc est dicere: Oportet haereticorum batillis (respicit Origenes Num. 16, 38, quae allegorice explicat) altare circumdari, ut certa et manifesta omnibus fiat fidelium atque infidelium differentia. Cum enim ecclesiastica fides velut aurum coeperit refulgere et praedicatio ejus ut argentum igne probatum intuentibus resplenduerit, tunc majore cum turpitudine et dedecore haereticorum voces obscuri aeris vilitate sordebunt.“ S. Gregorius pariter haec ad rem habet (Epist. l. 7. ep. 3): „Sancta Ecclesia subtilius in sua semper eruditione instruitur, dum haereticorum quaestionibus impugnatur.“

* Caput XXXIII.

vita? Si quis, inquit, *venit ad vos, et hanc doctrinam non affert.* Quam doctrinam, nisi catholicam et universalem, et unam eandemque per singulas aetatum successiones incorrupta veritatis traditione manentem, et usque in secula sine fine mansuram. Quid tum? *Nolite*, inquit, *recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis. Qui enim dicit illi ave, communicat operibus ejus malignis* (2. Joan. 10 s.) *Profanas*, inquit, *vocum novitates.* Quid est *profanas?* Quae nihil habent sacri, nihil religiosi, ab Ecclesiae penetralibus, quae est templum Dei, penitus extraneas. *Profanas*, inquit, *vocum novitates.* Vocum, id est, dogmatum, rerum, sententiarum novitates, quae sunt vetustati atque antiquitati contrariae: quae si recipiantur, necesse est ut fides beatorum patrum aut tota aut certe magna ex parte violetur; necesse est ut omnes omnium aetatum fideles, omnes sancti, omnes casti, continentes, virgines, omnes clerici, levitae et sacerdotes, tanta confessorum millia, tanti martyrum exercitus, tanta urbium, tanta populorum celebritas et multitudo, tot insulae, provinciae, reges, gentes, regna, nationes, totus postremo jam pene terrarum orbis per catholicam fidem Christo capiti incorporatus, tanto seculorum tractu

ignorasse, errasse, blasphemasse, nescisse quid crederet, pronuncietur. * *Profanas*, inquit, *vocum novitates devita:* quas recipere atque sectari nunquam catholicorum, semper vero haereticorum fuit. Et revera, quae unquam haeresis nisi sub certo nomine, certo loco, certo tempore ebullivit? Quis unquam haereses instituit, nisi qui se prius ab Ecclesiae catholicae universitatis et antiquitatis consensione discreverit? Quod ita esse luce clarius exempla demonstrant. Quis enim unquam ante profanum illum Pelagium tantam virtutem liberi praesumpsit arbitrii, ut ad hoc in bonis rebus per actus singulos adjuvandum necessariam Dei gratiam non putaret? Quis ante prodigiosum discipulum ejus Coelestium reatu praevaricationis Adae omne humanum genus denegavit adstrictum? Quis ante sacrilegum Arium Trinitatis unitatem discindere; quis ante sceleratum Sabellium unitatis Trinitatem confundere ausus est? Quis ante crudelissimum Novatianum crudelem Deum dixit, eo quod mallet mortem morientis, quam ut revertatur et vivat? Quis ante magum Simonem, apostolica districtione percussum (a quo vetus ille turpitudinum

---

* Caput XXXIV.

gurges usque in novissimum Priscillianum continua et occulta successione manavit), auctorem malorum, id est, scelerum, impietatum, flagitiorumque nostrorum ausus est dicere creatorem Deum? Quippe quem asserit talem hominum manibus ipsam suis creare naturam, quae proprio quodam motu et necessariae cujusdam voluntatis impulsu nihil aliud possit, nihil aliud velit nisi peccare, eo quod furiis vitiorum omnium exagitata et inflammata in omnia turpitudinum barathra inexhausta cupiditate rapiatur. Innumera sunt talia, quae brevitatis studio praetermittimus: quibus tamen cunctis satis evidenter perspicueque monstratur, hoc apud omnes fere haereses quasi solemne esse ac legitimum, ut semper profanis novitatibus gaudeant, antiquitatis scita fastidiant, et per oppositiones falsi nominis scientiae a fide naufragent. Contra vero catholicorum hoc vere proprium, deposita sanctorum patrum et commissa servare, damnare profanas novitates, et sicut dixit atque iterum praedixit Apostolus: *Si quis annunciaverit praeterquam quod acceptum est, anathemate* (Gal. 1, 9).

CAPUT XXV*.

Haeretici ut facilius decipiant, Scripturae testimoniis utuntur.

Hic fortasse aliquis interroget, an et haeretici divinae Scripturae testimoniis utantur. Utuntur plane, et vehementer quidem. Nam videas eos volare per singula quaeque sanctae legis volumina, per Moysi, per regum libros, per psalmos, per apostolos, per evangelia, per prophetas. Sive enim apud suos, sive alienos, sive privatim, sive publice, sive in sermonibus, sive in libris, sive in conviviis, sive in plateis, nihil unquam pene de suo proferunt, quod non etiam Scripturae verbis adumbrare conentur. Lege Pauli samosateni opuscula, Priscilliani, Eunomii, Joviniani reliquarumque pestium; cernas infinitam exemplorum congeriem, prope nullam omitti paginam, quae non novi aut veteris Testamenti sententiis fucata et colorata sit. Sed tanto magis cavendi et pertimescendi sunt, quanto occultius sub divinae legis umbraculis latitant. Sciunt enim foetores suos nulli fere cito esse placituros, si nudi et simplices exhalentur; atque idcirco eos coelestis eloquii

---

* Caput XXXV.

velut quodam aromate aspergunt, ut ille qui humanum facile despiceret errorem, divina non facile contemnat oracula. Itaque faciunt quod hi solent, qui parvulis austera quaedam temperaturi pocula, prius oras melle circumlinunt, ut incauta aetas cum dulcedinem praesenserit, amaritudinem non reformidet. Quod etiam iis curae est, qui mala gramina et noxios succos medicaminum vocabulis praecolorant, ut nemo fere ubi suprascriptum legerit remedium, suspicetur venenum. *Inde denique et Salvator clamabat: *Attendite vobis a pseudoprophetis, qui veniunt ad vos in vestitu ovium, ab intus autem sunt lupi rapaces* (Matth. 7, 15). Quid est vestitus ovium nisi prophetarum et apostolorum proloquia, quae iidem ovili quadam sinceritate agno illi immaculato, qui tollit peccatum mundi, tamquam vellera quaedam texuerunt? Qui sunt lupi rapaces nisi sensus haereticorum feri et rabidi, qui caulas ecclesiae semper infestant et gregem Christi quaqua possunt dilacerant? Sed ut fallacius incautis ovibus obrepant, manente luporum ferocia, deponunt lupinam speciem, et sese divinae legis sententiis velut quibusdam vel-

---

* Caput XXXVI.

leribus obvolvunt; ut cum quisque lanarum mollitiem praesenserit, nequaquam aculeos dentium pertimescat. Sed quid ait Salvator? *Ex fructibus eorum cognoscetis eos*: id est, cum coeperint divinas illas voces non jam proferre tantum, sed etiam exponere, nec adhuc jactare solum, sed etiam interpretari, tunc amaritudo illa, tunc acerbitas, tunc rabies intelligetur, tunc novitium virus exhalabitur, tunc profanae novitates aperientur; tunc primum scindi sepem videas, tunc transferri patrum terminos; tunc catholicam fidem caedi, tunc ecclesiasticum dogma lacerari. * Tales erant ii, quos percutit apostolus Paulus in secunda ad Corinthios epistola dicens: *Nam ejusmodi*, inquit, *pseudoapostoli sunt operarii subdoli, transfigurantes se in apostolos Christi* (2. Cor. 11, 12). Quid est *transfigurantes se in apostolos Christi?* Proferebant apostoli divinae legis exempla; proferebant et illi. Proferebant apostoli psalmorum auctoritates; proferebant et illi. Proferebant apostoli sententias prophetarum; et illi nihilominus proferebant. Sed cum ea quae similiter protulerant, interpretari non similiter coepissent, tunc simplices a subdolis,

---

* Caput XXXVII.

tunc infucati a fucatis, tunc recti a perversis, tunc postremo veri apostoli a falsis apostolis discernebantur. *Et non mirum*, inquit. *Ipse enim satanas transfigurat se in angelum lucis.* Non est ergo magnum, si ministri ejus transfigurantur sicut ministri justitiae. Ergo secundum apostoli Pauli magisterium, quotiescunque vel pseudoapostoli vel pseudoprophetae vel pseudodoctores divinae legis sententias proferunt, quibus male interpretatis errores suos adstruere conentur, non dubium est quin auctoris sui callida machinamenta sectentur, quae ille nunquam profecto comminisceretur, nisi sciret omnino nullam esse ad fallendum faciliorem viam, quam ut ubi nefarii erroris subinducitur fraudulentia, ibi divinorum verborum praetendatur auctoritas.

CAPUT XXVI.

Haeretici in allegandis Scripturis diabolum imitantur.

Sed dicet aliquis: Unde probatur quia sacrae legis exemplis diabolus uti soleat? Legat Evangelia, in quibus scribitur: *Tunc assumpsit illum diabolus*, id est, Dominum Salvatorem, *et statuit illum super pinnam tem-*

pli, et dixit ei: Si Filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim quod angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis; in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. (Matth. 4, 5 s.). Quid hic faciet misellis hominibus qui ipsum Dominum majestatis Scripturarum testimoniis appetivit? *Si*, inquit, *Filius Dei es, mitte te deorsum.* Quare? *Scriptum est enim*, inquit. Magnopere nobis doctrina loci istius attendenda atque retinenda est; ut tanto evangelicae auctoritatis exemplo, quando aliquos apostolica seu prophetica verba proferre contra catholicam fidem viderimus, diabolum per eos loqui minime dubitemus. Nam sicut tunc caput capiti, ita nunc quoque membra membris loquuntur, membra scilicet diaboli membris Christi, perfidi fidelibus, sacrilegi religiosis, haeretici postremo catholicis. Sed quid tandem dicunt? *Si*, inquit, *Filius Dei es, mitte te deorsum.* Hoc est: Si filius esse vis Dei et hereditatem regni coelestis accipere, mitte te deorsum, id est, ex istius te sublimis Ecclesiae, quae etiam templum Dei putatur, doctrina et traditione demitte. Ac si quis interroget quempiam haereticorum sibi talia persuadentem: Unde probas, unde doces

quod Ecclesiae catholicae universalem et antiquam fidem dimittere debeam, statim ille: *Scriptum est enim.* Et continuo mille testimonia, mille exempla, mille auctoritates parat de lege, de psalmis, de apostolis, de prophetis, quibus novo et malo more interpretatis, ex arce catholica in haereseos barathrum infelix anima praecipitetur. Jam vero illis quae sequuntur promissionibus miro modo incautos homines haeretici decipere consueverunt. Audent etenim polliceri et docere quod in ecclesia sua, id est, in communionis suae conventiculo, magna et specialis ac plane personalis quaedam sit Dei gratia, adeo ut sine ullo labore, sine ullo studio, sine ulla industria, etiamsi nec petant nec quaerant nec pulsent, quicunque illi ad numerum suum pertinent, tamen ita divinitus dispensentur, ut angelicis evecti manibus, id est, angelica protectione servati, nunquam possint offendere ad lapidem pedem suum, id est, nunquam scandalizari[1]).

---

[1]) Ad haec inprimis verba provocant qui Vincentium lirinensem semipelagianorum errore infectum fuisse censent, inter quos eminent Norisius (hist. pelag. l. 2. c. 11), Antelmius (de ver. opp. ss. Leon. et Prosp. diss. 9. c. 15.), Natalis Alexander (hist. eccl. sec. 5. part. 1. c. 3. a. 2, 3).

CAPUT XXVII*.

Quae regula sequenda sit in Scripturarum interpretatione.

Sed dicet aliquis: Si divinis eloquiis, sententiis, promissionibus et diabolus et disci-

---

* Caput XXXVIII.

Pagius (ad a. 434. § 16 ss.) Gerardus J. Vossius, Thomassini, Berti, Ballerinii (observ. l. 1. c. 6. n. 3. ad t. 4. opp. Norisii p. 912) et recentiori aetate Hefele (Tüb. Qtlschr. 1854. p. 89 ss.). Fatendum tamen est, haec verba, si prae contextu tantum spectentur, ne umbram quidem semipelagianismi praese ferre; hinc plures non minus eruditi viri ab hac nota Vincentium vindicant, ut Baronius, Bellarminus, Labbeus, Papebrochius, gallicae historiae literariae scriptores, Bruno Neusser etc. Sed licet haec verba per se innoxia videantur, adjuncta illa nonnihil suspecta reddunt. Notum siquidem est Massiliam, cui adjacent insulae lirinenses, patriam fuisse semipelagianorum, unde et massilienses sunt dicti; Vincentium vero diu conversatum esse cum Fausto postmodum rejensi (seu reghiensi) episcopo (qui etiam ejus quondam fuit abbas), quem inter semipelagianorum primipilos numerant (quamvis non desint qui eum ab erroris labe immunem, reclamantibus licet innumeris fere viris eruditis, pronuncient, ut Taper, Driedo, Maffei, Schiltingus act. SS. Sept. t. 7. d. 28. Sept. et nuper Heller in op. Fausti regiensis fides in expon. gratia Christi); in hisce vero verbis Vincentius ea reprehendit, quae in doctrina Augustini (sed prae-

puli ejus utuntur, quorum alii sunt pseudoapostoli, alii pseudoprophetae et pseudoma-

postere intellecta) carpere solebant semipelagiani; hinc fundamento non caret suspicio, horum partes secutum esse Vincentium, unde ei auctores supra allati etiam famosas objectiones, *vincentianas* dictas ab earum auctore, tribuunt. Provocant nonnulli pro confirmanda hac accusatione ad ea quae legimus c. 32, sed rationes, quas exinde petunt, adeo sunt leves, ut vere miremur, potuisse viros eruditos propter has rationes adeo gravem de scriptore tam bene de re catholica merito proferre sententiam. Quod vero conjecturam, quam ex hoc capite faciunt, attinet, suadet ea quidem, Vincentium quaedam doctrinae de gratia capita reprehendisse, quae et semipelagianis invisa erant, quaeque revera censura fuissent digna, si doctorum catholicorum quidam illa protulisset (quis enim his, quae hic carpit, subscribet?) et quae tunc temporis vel per inscitiam vel forte etiam per calumniam defensoribus doctrinae catholicae de gratia adscribebantur, sed *non probat*, consensum Vincentii nostri cum semipelagianis in iis, in quibus proprius eorum ab Ecclesia postmodum damnatus error consistebat. Ad hunc enim affirmandum graviora merito postulantur documenta. Ceterum etiamsi fuisset hoc errore infectus, nihil propterea ejus detraheretur sanctitati, cum nondum tunc hic error ab Ecclesia solemniter fuisset damnatus. Hinc ipse Augustinus eos, qui postmodum dicti sunt semipelagiani, *fratres ac dilectores sui* (de dono persev. 24. n. 66. de praed. SS. c. 14), Prosper vero eorum debellator, *sanctos, honoribus et meritis claros et egregios in omnium virtutum studio viros* (ep. ad August.) vo-

gistri, et omnes ex toto haeretici, quid facient catholici homines et matris Ecclesiae filii? Quonam modo in scripturis sanctis veritatem a falsitate discernent? Hoc scilicet facere magnopere curabunt, quod in principio commonitorii istius sanctos et doctos viros nobis tradidisse scripsimus, ut divinum canonem secundum universalis Ecclesiae traditiones et juxta catholici dogmatis regulas interpretentur; in qua item catholica et apostolica Ecclesia sequantur necesse est universitatem, antiquitatem, consensionem. Et si quando pars contra universitatem, novitas contra vetustatem, unius vel paucorum errantium dissensio contra omnium vel certe

---

cat. Quare Benedictus XIV. (in constit. de nova martyrol. rom. editione dd. 1. Jul. 1748. n. 31.) statuit: „Neque ad rem faciunt quae opponuntur exempla, alterum Hilarii arelatensis episc., alterum Vincentii lirinensis, quorum uterque, nimirum Hilarius die 5., Vincentius vero die 24. Maji in martyrologio romano commemoratur, quamvis eorum doctrina semipelagianismi labe fuerit aspersa. Siquidem etsi viros illos semipelagianismi errore tactos concederemus, quod tamen plures denegant, qui catholicam eorum sententiam egregie tuentur, excusandi tamen, si quid humani hac in parte illis exciderit, nondum enim catholica doctrina supremo apostolicae sedis judicio fuerat definita, ut in l. 2. op. de canoniz. c. 29. pluribus disputavimus.“

multo plurium catholicorum consensionem rebellaverit, praeferant partis corruptioni universitatis integritatem: in qua eadem universitate, novitatis profanitati antiquitatis religionem, itemque in ipsa vetustate, unius sive paucissimorum temeritati primum omnium generalia, si qua sunt, universalis concilii decreta praeponant; tunc deinde, si id minus est, sequantur quod proximum est, multorum atque magnorum consentientes sibi sententias magistrorum. Quibus adjuvante Domino fideliter, sobrie, sollicite observatis, non magna difficultate noxios quosque exsurgentium haereticorum deprehendemus errores.

CAPUT XXVIII*.

Quonam modo haereticorum novitates, prolatis veterum magistrorum concordantibus sententiis, deprehendantur et condemnentur.

Hic jam consequens esse video ut exemplis demonstrem, quonam modo profanae haereticorum novitates prolatis atque collatis veterum magistrorum concordantibus sibimet sententiis et deprehendantur et condemnentur.

---

* Caput XXXIX.

Quae tamen antiqua sanctorum patrum consensio non in omnibus divinae legis quaestiunculis, sed solum certe praecipue in fidei regula magno nobis studio et investiganda est et sequenda. Sed neque semper neque omnes haereses hoc modo impugnandae sunt, sed novitiae recentesque tantummodo, cum primum scilicet exoriuntur, ante quam infalsare vetustae fidei regulas ipsius temporis vetantur angustiis, ac priusquam manante latius veneno, majorum volumina vitiare conentur. Ceterum dilatatae et inveteratae haereses nequaquam hac via aggrediendae sunt, eo quod prolixo temporum tractu longa iis fruendae veritatis patuerit occasio. Atque ideo quascunque illas antiquiores vel schismatum vel haereseon profanitates nullo modo nos oportet nisi aut sola, si opus est, Scripturarum auctoritate convincere, aut certe jam antiquitus universalibus sacerdotum catholicorum conciliis convictas damnatasque vitare. Itaque cum primum mali cujusque erroris putredo erumpere coeperit, et ad defensionem sui quaedam sacrae legis verba furari, eaque fallaciter et fraudulenter exponere, statim interpretando canoni majorum sententiae congregandae sunt, quibus illud quodcunque exsurget novitium, ideoque pro-

fanum, et absque ulla ambage prodatur, et sine ulla retractatione damnetur. Sed eorum duntaxat patrum sententiae conferendae sunt, qui in fide et communione catholica sancte, sapienter, constanter viventes, docentes et permanentes, vel mori in Christo fideliter vel occidi pro Christo feliciter meruerunt. Quibus tamen hac lege credendum est, ut quidquid vel omnes vel plures uno eodemque sensu manifeste, frequenter, perseveranter, velut quodam consentiente sibi magistrorum concilio, accipiendo, tenendo, tradendo firmaverint, id pro indubitato, certo ratoque habeatur. Quidquid vero quamvis ille sanctus et doctus, quamvis episcopus, quamvis confessor et martyr, praeter omnes aut etiam contra omnes senserit, id inter proprias et occultas et privatas opiniunculas a communis et publicae ac generalis sententiae auctoritate secretum sit; ne cum summo aeternae salutis periculo, juxta sacrilegam haereticorum et schismaticorum consuetudinem, universalis dogmatis antiqua veritate dimissa, unius hominis novitium sectemur errorem. * Quorum beatorum patrum sanctum catholicumque consensum ne quis sibi temere contemnen-

* Caput XL.

dum forte arbitretur, ait in prima ad Corinthios Apostolus: *Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum apostolos* (quorum ipse unus erat), *secundo prophetas* (qualem in actibus apostolorum legimus Agabum), *tertio doctores* (1. Cor. 12, 28), qui tractatores nunc appellantur; quos hic idem Apostolus etiam prophetas interdum nuncupat, eo quod per eos prophetarum mysteria populis aperiantur. Hos ergo in Ecclesia Dei divinitus per tempora et loca dispensatos quisquis in sensu catholici dogmatis unum aliquid in Christo sentientes contempserit, non hominem contemnit, sed Deum: a quorum veridica unitate ne quis discrepet, impensius obtestatur idem Apostolus dicens: *Obsecro autem vos, fratres, ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata, sitis autem perfecti in eodem sensu et in eadem sententia* (1. Cor. 1, 10). Quod si quis ab eorum sententiae communione desciverit, audiet illud ejusdem Apostoli: *Non est Deus dissensionis, sed pacis* (id est, non ejus qui a consentiendi unitate defecerit. sed eorum qui in consentiendi pace permanserint), *sicut in omnibus*, inquit, *ecclesiis sanctorum doceo*, id est, catholicorum: quae ideo sanctae sunt, quia in fidei commu-

nione persistunt. Et ne quis forsitan, praetermissis ceteris, se solum audiri, sibi soli credi arrogaret, paulo post ait: *An a vobis*, inquit, *verbum Dei processit, aut in vos solos devenit?* Et ne hoc quasi perfunctorie acciperetur, adjecit: *Si quis*, inquit, *videtur propheta esse aut spiritalis, cognoscat quae scribo vobis, quia Domini sunt mandata.* Quae utique mandata, nisi ut si quis est propheta aut spiritalis, id est, spiritalium rerum magister, summo studio aequalitatis et unitatis cultor exsistat; ut scilicet neque opiniones suas ceteris praeferat, et ab universorum sensibus non recedat. Cujus rei mandata, *qui ignorat*, inquit, *ignorabitur* (1. Cor. 14, 33 ss.); id est, qui aut nescita non discit, aut scita contemnit, ignorabitur, hoc est, indignus habebitur qui inter unitos fide et exaequatos humilitate divinitus respiciatur, quo malo nescio an quidquam acerbius cogitari queat. Quod tamen juxta apostolicam comminationem pelagiano illi provenisse cernimus Juliano, qui se collegarum sensui aut incorporare neglexit aut excorporare praesumpsit. Sed jam tempus est ut pollicitum proferamus exemplum, ubi et quomodo sanctorum patrum sententiae congregatae sint, ut secundum eas ex decreto

atque auctoritate concilii ecclesiasticae fidei regula figeretur. Quod quo commodius fiat, hic sit jam hujus commonitorii modus; ut cetera quae sequuntur, ab alio sumamus exordio.

Secundum commonitorium interlapsum est; neque ex eo amplius quidquam quam postrema particula remansit, id est, sola recapitulatio, quae et subjecta est.

CAPUT XXIX*.

Recapitulatio eorum, quae antea dicta fuerunt.

Quae cum ita sint, jam tempus est, ut ea quae duobus his commonitoriis dicta sunt, in hujus secundi fine recapitulemus. Diximus in superioribus hanc fuisse semper et esse hodieque catholicorum consuetudinem, ut fidem veram duobus his modis approbent, primum divini canonis auctoritate, deinde Ecclesiae catholicae traditione; non quia canon solus non sibi ad universa sufficiat, sed quia verba divina pro suo plerique arbitratu interpretantes, varias opiniones erroresque concipiant, atque ideo necesse sit, ut ad unam ecclesiastici sensus regulam Scripturae coelestis intelligentia dirigatur, in his duntaxat

* Caput XLI.

praecipue quaestionibus, quibus totius catholici dogmatis fundamenta nituntur. Item diximus in ipsa rursus Ecclesia universitatis pariter et antiquitatis consensionem spectari oportere; ne aut ab unitatis integritate in partem schismatis abrumpamur, aut a vetustatis religione in haereseon novitates praecipitemur. Item diximus in ipsa Ecclesiae vetustate duo quaedam vehementer studioseque observanda, quibus penitus inhaerere deberent quicunque haeretici esse nollent; primum, si quid esset antiquitus ab omnibus Ecclesiae catholicae sacerdotibus universalis concilii auctoritate decretum; deinde si qua nova exsurgeret quaestio, ubi id minime reperiretur, recurrendum ad sanctorum patrum sententias, eorum duntaxat qui suis quisque temporibus et locis in unitate communionis et fidei permanentes, magistri probabiles exstitissent, et quidquid uno sensu atque consensu tenuisse invenirentur, id Ecclesiae verum et catholicum absque ullo scrupulo judicaretur. * Quod ne praesumptione magis nostra quam auctoritate ecclesiastica promere videremur, exemplum adhibuimus sancti concilii, quod ante triennium ferme in Asia

* Caput XLII.

apud Ephesum celebratum est VV. CC. Basso Antiochoque consulibus: ubi cum de sanciendis fidei regulis disceptaretur, ne qua illic forsitan profana novitas in modum perfidiae ariminensis obreperet, universis sacerdotibus, qui illo ducenti fere numero convenerant, hoc catholicissimum, fidelissimum atque optimum factu visum est, ut in medium sanctorum patrum sententiae proferrentur, quorum alios martyres, alios confessores, omnes vero catholicos sacerdotes fuisse et permansisse constaret; ut scilicet rite atque solemniter ex eorum consensu atque decreto antiqui dogmatis religio confirmaretur et profanae novitatis blasphemia condemnaretur. Quod cum ita factum foret, jure meritoque impius ille Nestorius catholicae vetustati contrarius, beatus vero Cyrillus sacrosanctae antiquitati consentaneus judicatus est. Et ut ad fidem rerum nihil deesset, tam nomina et numerum (licet ordinem fuissemus obliti) edidimus eorum patrum, juxta quorum ibidem concinentem sibi concordemque sententiam et legis sacrae proloquia exposita sunt et divini dogmatis regula constabilita est: quos, ad confirmandam memoriam, hic quoque recensere nequaquam superfluum est.

CAPUT XXX.

De concilio ephesino.

Sunt ergo hi viri, quorum in illo concilio vel tamquam judicum vel tamquam testium scripta recitata sunt. Sanctus Petrus alexandrinus episcopus, doctor praestantissimus et martyr beatissimus. Sanctus Athanasius, ejusdem civitatis antistes, magister fidelissimus, et confessor eminentissimus. Sanctus Theophilus, ejusdem item urbis episcopus, vir fide, vita, scientia satis clarus: cui successit venerandus Cyrillus, qui nunc alexandrinam illustrat ecclesiam. Et ne forsitan unius civitatis ac provinciae doctrina haec putaretur, adhibita sunt etiam illa Cappadociae lumina, sanctus Gregorius episcopus et confessor de Nazianzo, sanctus Basilius Caesareae Cappadociae episcopus et confesssor, sanctus item alter Gregorius nyssenus episcopus, fidei, conversationis, integritatis et sapientiae merito, fratre Basilio dignissimus. Sed ne sola Graecia aut Oriens tantum, verum etiam occidentalis et latinus orbis ita semper sensisse approbaretur, lectae sunt quoque ibi quaedam ad quosdam epistolae sancti Felicis martyris et sancti Julii urbis Romae episcoporum. Et ut non solum caput

orbis, verum etiam latera illi judicio testimonium perhiberent, adhibitus est a meridie beatissimus Cyprianus episcopus carthaginensis et martyr, a septentrione sanctus Ambrosius mediolanensis episcopus. Hi sunt igitur omnes apud Ephesum sacrato decalogi numero magistri, consiliarii, testes judicesque producti: quorum beata illa synodus doctrinam tenens, consilium sequens, credens testimonio, obediens judicio, absque taedio, praesumptione et gratia de fidei regulis pronunciavit. Quamquam multo amplior majorum numerus adhiberi potuerit, sed necesse non fuit: quia neque multitudine testium negotii tempora occupari oportebat, et decem[1])

---

[1]) *Et decem.* Duodecim patres tamquam testes et judices in sinceris actis concilii ephesini nominantur. Praeter eos, quorum meminit Vincentius, etiam Attici ep. constantinop. et Amphilochii ep. iconiensis mentio facta est. Horum tamen nomina videntur defuisse in exemplari, quo usus est Vincentius. Ceterum hac agendi ratione concilii ephesini luculenter ostenditur Ecclesiae seculo quinto persuasum fuisse, ad comprobandum aliquod dogma tamquam divinitus revelatum adversus haereticos necesse non esse, vel ad omnium patrum consensionem vel ad auctoritatem patrum seculi primi et secundi provocare. Quod cum magni adversus haereticos sit momenti, juvabit illud quamplurimis exemplis ex conciliorum actis scriptisque patrum petitis, quae dili-

illos non aliud vere sensisse quam ceteros omnes collegas suos nemo dubitabat.

---

genter collegit Petavius (de incarn. l. 14. c. 15.), illustrare. Exceptioni hostium fidei „consentaneum esse dogmatum probandorum auctoritatem ab ultimis repeti temporibus et aetati Christi proximis, per quae nondum inventis erat hominum infecta fidei ac disciplinae velut hereditaria possessio,“ ita occurrit summus theologus: „Qui caput aliquod fidei christianae patrum testimoniis approbare velit, nulla id alia via melius instituere potest, quam si oecumenicarum synodorum et eorum ipsorum, quos testes adhibet, patrum imitatione exemploque faciat. Quibus igitur auctoritatis praesidiis armata vetus Ecclesia in generalibus conciliis vel adversus imminentes subinde novas haereses in controversiam adductum fidei dogma defendit? De iis quorum acta penitus interciderunt, judicium ex istis facere non possumus. In ceteris, quorum plenior ad nos memoria rerumque inibi gestarum et disputationum commentarii pervenerunt, sic omnino reperies, non illos ab antiquissimis, sed ab citimis potius et recentis memoriae doctoribus probationes et testimonia sumpsisse. Hoc in ephesina, chalcedonensi, quinta et sexta synodis oecumenicis, ut alias taceam, usurpatum videmus. Harum in prima, Deum natum esse de Virgine, non simplicem hominem, probant ex Cypriano, Petro alexandrino, Athanasio, Julio papa, Felice item papa, Theophilo alex., Ambrosio, Gregoriis naz. et nysseno, Basilio, Attico, et Amphilochio. Ex iis autem, qui vetustissimus est, Cyprianus non plenis ducentis annis antecessit ephesinae synodi tempus, ceterorum erat memoria recentior. Nunc illud velim ut mihi

CAPUT XXXI.

Patrum ephesinorum in expugnanda novitate tuendaque antiquitate constantia.

Post quae omnia, adjecimus etiam beati Cyrilli sententiam, quae gestis ipsis eccle-

---

respondeant adversarii, utrum existiment synodum illam, quia nullos priorum seculorum suffragatores decreti sui proferre poterat, recentiores et paucis ante se annis mortuos advocasse, an cum alios antiquiores nominare posset, novis istis utpote idoneis fuisse contentam. Horum utrum dixerint, tum causam nostram adjuvabunt, tum deteriorem facient suam. Nam si fuit nemo Ecclesiae doctor primis illis seculis, qui catholico de Christi divinitate dogmati fidem faceret, ut ex nuperis affirmari illud oportuerit, frustra nobis invidiam ex antiquissimorum illorum temporum silentio comparare student. Quod si exstabant aliqui primis illis seculis, sed consulto his antepositi sunt qui proxime praecesserant, nihilo nos magis accusare deberent, si in appellandis novissimis, illorum exempla sequeremur . . . Sic etiam chalcedonense concilium auctores inscribit sibi vix toto seculo anteriores; unum etiam proxime, hoc est ante sex annos vita functum, Cyrillum alexandrinum. Nec deerant, opinor, vetustiores alii, quorum uti testimonio poterant, ac tanto plures, quanto major illis suppetebat librorum copia, nondum ad inanitatem redactis aut variis casibus consumptis bibliothecarum forulis. Nos certe ad duas in Christo naturas affirmandas, antiquissimorum suffragia conquisivimus (l. 3. c. 6.), et a primo usque seculo, ut Clementis

siasticis continetur. Namque cum lecta esset sancti Capreoli episcopi carthaginensis epi-

---

romani, et Ignatii M. ac deinceps aliorum, Justini, Irenaei, Clementis alex., Hippoliti M., Origenis, quorum nemo in ista synodo est auditus. Similiter quinta synodus, cum patres enumeraret, quos se in omnibus sequi profiteretur, Athanasium, Hilarium, Gregorium naz., Nyssenum, Ambrosium, Augustinum, Theophilum, Joannem Chrysostomum, Leonem, Proclum nominavit, antiquiorem neminem . . . Non aliter synodus sexta contra monotheletarum haeresim haud illis antiquiores patres advocavit, ut ex 8. et 10. act. liquet: hoc est, Athanasium, Ambrosium, Augustinum, Joannem Chrys., Leonem papam, Gregorium nys., Cyrillum, Epiphanium, Ephremium antioch., Anastasium, Joannem scythopol. Nam qui omnibus aetate superior est, Justinus M. citatur ille quidem, sed non est germanus ejus liber, qui ibi nominatur, fidei scil. expositio. Non dissimilis est singulorum patrum ratio, qui in refellendis novorum haereticorum erroribus, recentiorum ac pene aequalium suorum patrum testimonia non dubitarunt opponere. Augustinus adversus Julianum pelagianae columen haeresis disputans, in libro 1. auctores aliquot citat, ex quibus primi nullum seculi, unum secundi M. Irenaeum, tertii itidem unum Cyprianum, reliquos eodem, quo natus erat, seculo mortuos, quarto scil., in medium adduxit, Reticium augustodunensem, Olympium hispanum, Hilarium, Ambrosium, Gregorium naz., Basilium, Joannem Chrysost., et qui nuper obierat, Hieronymum.“ Imo adversus semipelagianos disputans provocat (de dono persev. c. 19. n. 48.) ad Cyprianum et Ambrosium, quos *sufficere debere* ait; n. 49.

stola, qui nihil aliud intendebat et precabatur nisi ut, expugnata novitate, antiquitas de-

---

scribit: „Sed his duobus, qui *sufficere debuerunt,* s. Gregorium (scil. nazianz.) addamus tertium, qui et credere in Deum et quod credimus confiteri Dei donum esse testatur.“ Ita et l. 4. c. 2. ep. pelagian. c. 8. n. 20 ss. illos duos tantum pro tuendo dogmate catholico adducit. „Theodoretus in dial. tribus, prosequitur Petavius, Apollinaris haeresim impugnans et duarum in Christo manentium naturarum discrimen astruens e secundo seculo duos laudat, Ignatium et Irenaeum; e tertio Hippolytum et Methodium, ceteros quarto et quinto, hoc est proximo ante vita defunctos, Eustathium, Athanasium, Basilium, ambos Gregorios, Flavianum, Cyrillum hierosol., Amphilochium, Ambrosium, Hilarium, Severianum, Antiochum, Chrysostomum, Augustinum, Atticum, Gelasium, Cyrillum alex .... Cyrillus idem in libro de recta fide, Nestorii dogma confutans patrum testimoniis aliquot, non illos ex primis seculis tribus, sed ex quarto quintove delectos citat, Athanasium, Amphilochium, Atticum, Chrysostomum, Theophilum avunculum suum et alios quosdam. Non deerant, opinor, in illa causa et tam communi ac trito asseverando fidei capite complures antiquiores testes, cum a nobis allati passim haud pauci fuerint. Sed hoc recte Cyrillus intellexit, in catholicae fidei testibus non tam aetatem, quam ex doctrina et integritate gravitatem auctoritatemque esse praestandam. Ita Gelasius papa de Christi agens duplici natura eamque veterum testimoniis confirmans, praeter Ignatium et Hippolytum, reliquos omnes arcessit e quarto

fenderetur, ita episcopus Cyrillus proloquutus est et definivit, quod hic quoque interponere non

---

quintove seculo. Joannes item II. in ejusdem argumenti epistola, quarti et quinti solos appellat, Cypriano excepto. Missos facio ceteros, qui in testibus catholicorum dogmatum percensendis citerioribus contenti fuerunt. Nondum enim frigidum illud et insulsum audiri coeperat calumniae genus, quod postremis hisce temporibus excogitatum est, ut ad primum ac secundum seculum aut vero tertium et quartum controversorum capitum discep'atio revocaretur." Hactenus Petavius, qui missum facit et Leonem M. qui in ep. ad Leonem aug. (ep. 165. sec. Quesn. 134.) contra Eutychis errorem nullum ex tribus prioribus seculis adducit, sed omnes (numero novem) e seculo quarto et quinto. Missum facit et Agathonem papam, cujus epistola contra monotheletarum haeresim lecta fuit in Syn. VI. act. 4. et in qua testimoniis utitur patrum seculi quinti. Paulinus diaconus in l. adversus Coelestium Zosimo rom. pontifici oblato pro asserendo peccato originali Cyprianum, Ambrosium, Gregorium naz. et Innocentium I., quorum tres recentissimae memoriae dici poterant, nec alios invocat. Cassianus Nestorii errorem refellens octo tantum patres, quorum vetustissimus Athanasius, illi opponit (l. 7. de incarn. cc. 24 ss.). Non dissimili methodo contra iconomachos utitur Damascenus in suis de imaginibus orationibus. Merito hinc fratres de Walenburch in sua *perpetua probatione fidei per testes* c. 25. collatione instituta inter synodos protestantium hanc dogmatum probandorum methodum spernentes et concilia primitivae Ecclesiae (quorum

abs re videtur. Ait enim in fine gestorum: „Et haec, inquit, quae lecta est epistola venerandi et multum religiosi episcopi carthaginensis Capreoli fidei gestorum inseretur: cujus aperta sententia est. Vult etenim antiquae fidei dogmata confirmari, novitia vero et superflue adinventa et impie promulgata reprobari atque damnari." Omnes episcopi acclamaverunt: „Hae omnium voces sunt, haec omnes dicimus, hoc omnium votum est." Quae tandem omnium voces, aut quae omnium vota, nisi ut quod erat antiquitus traditum teneretur, quod adinventum nuper, exploderetur? Post quae admirati sumus et praedicavimus quanta concilii illius fuerit humilitas et sanctitas, ut tot numero sacer-

---

quatuor priora oecumenica se venerari protestantes fatentur) illos a vera defecisse Ecclesia inferunt. „Necesse enim est, inquiunt, ut Ecclesia vera et concilia vera eum docendi atque praedicandi modum sequantur, quem Christus Jesus instituit, quem observarunt apostoli, quem primorum seculorum tenuit Ecclesia. Eum autem modum semper observavit Ecclesia romano-catholica, hoc tradens et docens, quod per testimonia praedecessorum suorum acceperat, quod in Ecclesia universaliter credebatur .... Ecclesiae vero et synodi protestantium quid habent simile? Num quis audet astruere, docendi modum a Christo institutum, in primitiva Ecclesia observatum, ab

dotes, pene ex majori parte metropolitani, tantae eruditionis tantaeque doctrinae, ut prope omnes possent de dogmatibus disputare, quibus propterea ipsa in unum congregatio audendi ab se aliquid et statuendi addere videretur fiduciam, nihil tamen novarent, nihil praesumerent, nihil sibi penitus arrogarent, sed omnimodis praecaverent, ne aliquid posteris traderent quod ipsi a patribus non accepissent, et non solum in praesenti rem bene disponerent, verum etiam post futuris exempla praeberent, ut et ipsi scilicet sacratae vetustatis dogmata colerent, profanae vero novitatis adinventa damnarent. Invecti etiam sumus in Nestorii sceleratam praesumptionem, quod sacram Scripturam se primum et solum intelligere et omnes eos ignorasse jactaret, quicunque ante se magisterii munere praediti, divina eloquia tractavissent, universos scilicet sacerdotes, universos confessores et martyres, quorum alii explanassent Dei legem, alii vero explanantibus consensissent vel credidissent, totam postremo etiam nunc errare et semper errasse asseveraret Ecclesiam, quae, ut ipsi

---

ipsis teneri? etc.“ Cf. eosdem cc. 23, 24, 27. Passaglia de Eccl. l. 3. cc. 20 ss.

videbatur, ignaros erroneosque doctores et sequuta esset et sequeretur[1]).

---

[1]) Merito hinc s. Cyrillus alex. anathematismum VIII. adversus Nestorii errores statutum vindicans contra orientales generatim pronunciat: „Seipsam facile corriget (mens humana a recta via deflectens), si labores scrutata fuerit sanctorum patrum, qui ab omnibus de rectitudine et certitudine dogmatum celebrantur, tum suam rectam fidem explorabit. Omnes enim, quibus integrum cor est, illorum sententias sequi contendunt: quia et ipsi apostolica et evangelica traditione suam mentem cum implevissent, et ex sacris Scripturis sermones fidei recte et citra reprehensionem tractassent, mundi fuere luminaria sermonem vitae continentes, prout scriptum est (Philip. 2, 15)." Quibus plane gemina sunt haec Cassiani adversus Nestorium (de incarn. l. 1. c. 6.): „Sufficere solus nunc ad confutandam haeresim deberet consensus omnium, quia indubitatae veritatis manifestatio est auctoritas universorum et perfecta ratio facta ubi nemo dissentit. Ita ut qui contra hoc sentire nitatur, hujus prima statim fronte non tam audienda sit assertio quam damnanda perversitas: quia praejudicium secum damnationis exhibuit, qui judicium universitatis impugnat: et audientiae locum non habet, qui a cunctis statuta convellit." Nam ut advertit Leontius byzantinus contra eundem Nestorium (l. 1.): „Post apostolos et prophetas Deus in Ecclesia doctores posuit secundum providentiam Spiritus sancti incomprehensam in opus ministerii ad aedificationem corporis Christi. Quare qui patres illos non recipit, qui in Ecclesia clari et celebres sunt, plane ordinationi et constitutioni Dei resistit."

CAPUT XXXII*.

Coelestini et Sixti rom. pontificum in proscribenda novitate studium.

Quae omnia licet cumulate abundeque sufficerent ad profanas quasque novitates obruendas et exstinguendas, tamen ne quid deesse tantae plenitudini videretur, ad extremum adjecimus geminam apostolicae sedis auctoritatem, unam scilicet sancti papae Sixti, qui nunc romanam ecclesiam venerandus illustrat, alteram decessoris sui beatae memoriae papae Coelestini, quam hic quoque interponere necessarium judicavimus. Ait itaque sanctus papa Sixtus in epistola, quam de causa Nestorii antiocheno misit episcopo: „Ergo, inquit, quia sicut ait Apostolus, fides una est, quae evidenter obtinuit dicenda credamus et tenenda dicamus.“ Quae sunt tandem illa credenda et dicenda? Sequitur et ait: „Nihil ultra, inquit, liceat novitati, quia nihil addi convenit vetustati. Perspicua majorum fides et credulitas nulla coeni permixtione turbetur.“ Omnino apostolice, ut majorum credulitatem perspicuitatis lumine ornaret, novitias vero profanitates coeni permixtione describeret. Sed et sanctus papa Coelestinus pari modo eademque sententia.

* Caput XLIII.

Ait enim in epistola, quam gallorum sacerdotibus misit, arguens eorum conniventiam quod antiquam fidem silentio destituentes, profanas novitates exsurgere paterentur. „Merito, inquit, causa nos respicit, si silentio foveamus errorem. Ergo corripiantur hujusmodi; non sit his liberum habere pro voluntate sermonem.“ Hic aliquis fortasse addubitet quinam sint illi, quos habere prohibeat liberum pro voluntate sermonem, vetustatis praedicatores, an novitatis adinventores. Ipse dicat, dubitationem legentium ipse dissolvat. Sequitur enim: „Desinat, inquit, si ita res est (id est, si ita est ut apud me quidam urbes et provincias vestras criminantur, quod eas quibusdam novitatibus consentire noxia dissimulatione faciatis), desinat itaque, inquit, si ita res est, incessere novitas vetustatem.“ Ergo haec fuit beati Coelestini beata sententia, ut non vetustas cessaret obruere novitatem, sed potius novitas desineret incessere vetustatem.

CAPUT XXXIII.

Filiis Ecclesiae catholicae patrum fidei inhaerendum ac immoriendum.

Quibus apostolicis catholicisque decretis quisquis refragatur, insultet primum omnium necesse est memoriae sancti Coelestini, qui

statuit, ut desineret incessere novitas vetustatem, deinde irrideat definita sancti Sixti, qui censuit, ne ultra quidquam liceat novitati, quia nihil addi convenit vetustati, sed et beati Cyrilli statuta contemnat, qui venerandi Capreoli zelum magna praedicatione laudavit, quod antiqua fidei dogmata confirmari cuperet, novitia vero adinventa damnari, ephesinam quoque synodum, id est, totius pene orientis sanctorum episcoporum judicata proculcet, quibus divinitus placuit nihil aliud posteris credendum decernere, nisi quod sacrata sibique in Christo consentiens sanctorum patrum tenuisset antiquitas, quique etiam vociferantes et acclamantes, uno ore testificati sunt, has esse omnium voces, hoc omnes optare, hoc omnes censere; ut sicut universi fere ante Nestorium haeretici, contemnentes vetustatem et asserentes novitatem, damnati forent, ita ipse quoque Nestorius, auctor novitatis et impugnator vetustatis, condemnaretur. Quorum sacrosanctae et coelestis gratiae munere inspirata consensio si cui displicet, quid aliud sequitur, nisi ut profanitatem Nestorii asserat non jure damnatam? Ad extremum quoque universam Christi Ecclesiam et magistros ejus apostolos et prophetas, praecipueque tamen beatum aposto-

lum Paulum, velut quaedam purgamenta contemnat; illam, quod a religione colendae et excolendae semel sibi traditae fidei nunquam recesserit; illum vero, qui scripserit: *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates* (1. ep. 6, 20); et item: *Si quis vobis annunciaverit praeterquam quod accepistis, anathema sit* (1. Gal. 1, 9). Quod si neque apostolica definita neque ecclesiastica decreta temeranda sunt, quibus secundum sacrosanctam universitatis et antiquitatis consensionem cuncti semper haeretici, et ad extremum Pelagius, Coelestius, Nestorius, jure meritoque damnati sunt, necesse est profecto omnibus deinceps catholicis, qui sese Ecclesiae matris legitimos filios probare student, ut sanctae sanctorum patrum fidei inhaereant, agglutinentur, immoriantur, profanas vero profanorum novitates detestentur, horrescant, insectentur, persequantur.

Haec sunt fere quae duobus commonitoriis latius disserta, aliquanto nunc brevius recapitulandi lege constricta sunt; ut memoria mea, cui adminiculandae ista confecimus, et commonendi assiduitate reparetur, et prolixitatis fastidio non obruatur.

Explicit tractatus Peregrini contra haereticos.

INDEX.

Pag.

Pag.

Praeter leviora errata, quae lector benevolus facile agnoscet emendabitque, haec gravioris momenti irrepserunt in t. VIII.

---

p. 93. in annot. lin. 1. Scriptum *lege* Scriptus.
p. 99. » » » 5. 326. vel 327. *lege* 426. vel 427.
p. 100. in annot. lin. penult. pergenda *lege* peragenda.
p. 102. » » » 3. abjecta *lege* abjecte.
p. 105. lin. 1. *dele* verba: ut nos doceremur scripta sunt.
p. 107. lin. 4. eo *lege* eos.
p. 128. in annot. lin. 26 Deum *lege* Dum.
p. 155. lin. 13. sua *lege* suae.
p. 168. lin. 13. qater *lege* pater, et l. seq. puae *lege* quae.
p. 186. in annot. lin. 8. quae *lege* qua.

p. 189. lin. 6, 7. Praedictum esset . . . passurus est *lege* Praedictum est . . . passurus esset.

p. 192. lin. 3. separabantur *lege* separabuntur.

In hoc t. IX. exciderunt p. 27. in annot. lin. 1. et 2. literae initiales e et f, proinde legendum est: et . . . . fabricantur.

p. 22. in annot. 1. *lege* L. 33. c. 9

A. M. D. G.